
V
B J
C
7679

TRACTATUS PORTORII GEDANENSIS

CUM NOTIS EDITI

MDCCLXII.







GEDANI,
TYPIS THOMAE JOANNIS SCHREIBERI,
SENATUS ET ACAD. GYMNASII
TYPOGRAPHI.





Præfatio ad Lectores.



Cum a. 1568 Gedanenſes, Regios Commiſſarios urbe prohibuerant, Rex Sigismundus Auguſtus vehementer indignatus, ſequenti anno ſuos Commiſſarios mittebat iterum, tribus Præconſulibus & Conſule uno in Polonia detentis, neque prius dimittendis, quam Commiſſarii quæ ſibi mandata peregiſſent. Hi in civitatem admiſſi, etiam atque etiam ſuadebant, ut Ordines, ante omnia alia, de placando Rege cogitarent, quo facto, ſalva fore jura nihilque in iis mutatum iri confirmantes. Quare Ordines, & inter ſe, & una cum Commiſſariis, de modo Regem

 placan-

placandi consilia conferebant ac ex horum mente, civitatis portorium cum Rege, si prius duplicasset, dividere, ac Ipsi centum florenorum millia donare decernebant, additis, quæ a Rege vicissim præstanda essent. Rex, probatis quidem quæ offerebantur, neque tamen portorium auxit, neque reliquas conditiones implevit, & cum mors interveniret, civitatis Ordines ad ea, quæ promisissent, minime se obstringi credebant, cum ea soli Sigismundo Augusto, non simul ejus Successoribus promisissent.

Electo inauguratoque, post breve Henrici regnum, Stephano, prima fuit Gedanensium cura, ut antequam novo Regi fidem & obsequium jurarent, imminuta sub Sigismundo Augusto jura restituerentur integra, ac commissio Karnkoviana, quæque inde secuta, nec non promissa portorii cum Rege divisio, abolerentur. Quæ cum ad Regem Stephanum delata essent, Ipse ad nonnulla ex civitatis sententia respondebat, ut tamen Karnkovianam commissionem & portorii partitionem ad comitia rejiceret: quorum arbitrio cum Gedanenses causam suam permittere nollent, armis certatum, quibus positis, & civitate post obsidionem a Rege in gratiam recepta, commissionem & portorium, decreto comitiorum servare placuit. Cum vero neque

neque in proximis, neque alteris comitiis quidquam decerneretur, ac inciderent alia, quæ negotium hoc morarentur, quod civitas quamprimum finiri præoptabat, missi a. 1581 comitiorum tempore, Præconsul Reinholdus Mollerus, Consul Conradus Lemkius & Syndicus D. Henricus Lemkius Varsaviam: qui cum nihil effecissent, proximo anno Varsaviam redibant, Regi pro portorio centum & quinquaginta millia, intra quindecim, deinde ducenta florenorum millia intra viginti annos, ut singulis numerarentur decem, tandem Stephano & Successoribus omnibus, quovis anno, dena millia offerentes. Verum Rege in portorio perstante, civitatis Ordines tandem in ejus auctionem & divisionem, certis tamen conditionibus consenserunt, de quibus cum Rege extra comitia, per supremum Regni Cancellarium, Jo. Zamoiscium, Cracoviæ, quo Rex Varsavia profectus erat, actum: Cujus responsionem ad conditiones singulas, internuntii Gedanum a. 1583 reportabant: qui, suffecto in locum Consulis Lemkii, Daniele Zierenbergio, die 20 Martii ejusdem anni cum novis mandatis Cracoviam reversi, cum supremo Cancellario conditiones tractare pergebant, ac uti convenerant, ad suos referebant.

Civi-

Civitatis Ordines, expensis quae Regi placuerant, alia mutari, alia addi optant, idque ut fiat, cum suo Syndico Praeconsulem Joannem de Linda & Consulem Conradum Lemkium, mense Decembri dicti anni, Grodnam, ubi tum Rex erat, legant, qui in itinere a supremo Regni Cancellario, Knisini in Podlachia, auditi, Regi quae in tractatibus corrigenda exhibebant, Qui lecto, internuntiis absentibus scripto, quod longioris morae impatiens, paullo commotior ad praesentem Procancellarium Baranowscium: „Se a civitate eludi, idque futurum jam pridem supremo Cancellario praedixisse; satis „jam tractatum; abeant internuntii & ad suos revertantur„: ac scriptum indignabundus laceravit. Sed Rege a supremo Cancellario, qui interea Knisino Grodnam venerat, placato, totum negotium transactum est, ut Rex die 9 Februarii a. 1584 tractatibus subscriberet, & supremus Cancellarius Regni sigillum imprimi curaret. Sequenti anno, venientibus ea ex causa Varsaviam, Praeconsule Mollero, Consule Jacobo Schelio & Syndico Lemkio, tractatus illi tempore comitiorum, a Senatoribus trutinati probatique sunt, & adscriptis illorum aliorumque nominibus, repetita subscriptione Regia & sigillo Regni majore appenso, prodierunt.

Hi

Hi tractatus, conventionem inter Regem Stephanum & civitatem Gedanensem, de augendo & dividendo portorio, nec non conditiones, quibus civitatis Ordines in auctionem & divisionem consenserunt, continent; nimirum, ne in administrando exigendoque portorio quidquam novaretur, ut commissio Karnkoviana ac ejus constitutiones abolerentur, & juribus quibus derogatum, pristina auctoritas redderetur. Ob has conditiones, quas Stephanus perpetuo servandas sanxit, & quibus, neque, aliter, civitas in auctionem partitionemque portorii sui consensit, portorii trrctatus, insignem publici juris, quo Gedanenses in hunc diem utuntur, partem exhibent; digni ideo jam dudum visi, qui typis repetiti, familiariores illis praesertim redderentur, quorum interest, quibusque convenit, Gedanensium jura nosse & tueri, cum semel tantum a Curickio editi & historiae suae Gedanensi p. 164 & seq. inserti sint. Ex hac causa nova parata est editio, aliquanto accuratior, quam apud Curickium legitur, cum praesens ad exemplum, quod Syndicus Lemkius, cujus ingenio & opera toto tractationis tempore civitas usa est, suo subscripto nomine probavit, expressa sit, paragraphis in quos distincti sunt tractatus, numeris adscriptis, ut commodius citari & ex iis citata facilius inveniri queant. Quia autem

in

in tractatibus multa occurrunt, ex historia priorum temporum & antiquis legibus explananda, additae sunt notae ex fontibus illis petitae, non neglectis totius tractationis commentariis, qui calamo exarati supersunt, ac Ordinum declaratione, quibus de causis in controversiam cum Rege Stephano pertracti sint, *Gedani a. 1577 typis vulgata. Id enim patriae nos debere existimavimus, jura non quidem omnia, ea tamen quae Stephanus in tractatibus portorii instauravit, hac occasione explicare, quod quo lectorum fructu a nobis praestitum sit, ipsi si aequi fuerint, & aequos futuros confidimus, judicent.*

Scrib. Gedani d. XXIV Septembr.
MDCCLXII.

INDEX ET



INDEX
ET SUMMA PARAGRAPHORUM.

)( )(　　§. VII.



TRACTA-



TRACTATUS PORTORII [A].

PRAEFATIO.

In Nomine Domini Amen. Ad perpetuam rei memoriam. Nos Stephanus, Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Kijoviæ, Volhiniæ, Podlachiæ, Livoniæque, nec non Princeps Transilvaniæ.



Significamus præsentibus litteris Nostris, quorum interest & intererit in posterum, universis & singulis. Quod cum per plures jam annos, & vivo adhuc Prædecessore Nostro, Divo Sigismundo Augusto, Rege, de auctione portorii (quod Phalgeldum vulgo vocant) Præfatio.

Præfatio. cant) civitatis Noſtræ Gedanenſis, quam Eidem Prædeceſſori Noſtro, civitatis ejus Ordines, per certos Commiſſarios, tum ad eam civitatem miſſos, ſecundum quandam placationis formulam, ſub Ordinum ſigillo communiter editam promiſerant B), multum ac ſæpius hinc inde diſceptatum, controverſum ac tractatum fuiſſet C); quod civitatis ejus Ordines prætenderent, non ſimpliciter, neque pure, auctionem eam Prædeceſſori Noſtro promiſſam, ſed certas temporis conditiones, vel vitæ ipſius Regis adjectas, & gravaminum itidem, quibus civitas afficeretur, abolitionem, ſimul & conjunctim, exceptam fuiſſe D). Ideoque cum ex parte Prædeceſſoris eæ conditiones defeciſſent, inſuper etiam per ſuperiorum temporum rationem, aliæ difficultates incidiſſent, quo minus ea auctio effectum ſortiretur, nedum ut ipſi gravaminibus tum propoſitis liberarentur, ſe quoque exiſtimabant, promiſſione ſua hactenus obligari non potuiſſe E). Unde factum, ut rerum iſtarum tractationes, ad Noſtræ usque gubernationis atque regni initia nondum definitæ eſſent F). Quoniam vero plurimum intereſſe animadverteremus, coeptum ſemel a Deceſſore negotium expediri, & ad finem perduci, cum præſertim exiſtimaremus, reipublicæ potius utilitatem vel neceſſitatem, quam Deceſſoris

ſoris perſonam ea in re initio ſpectatam fuiſſe G), Præfatio. ſtatim a felici Noſtro in hoc regnum ingreſſu, poſtquam domeſticas diſſenſiones, quæ ex ſtudiis partium in electione exortæ fuerant, compoſuiſſemus H), ad illud quoque augendi portorii negotium componendum, auctoritatem ſtudiumque Noſtrum ſedulo contulimus quidem I), verum quia varia Reipublicæ negotia, tum cum Magno Moscorum Duce bella, pro dignitate atque ſecuritate a Nobis ſuſcepta L), non parum ſtudium hac in re Noſtrum morarentur, ad hoc usque tempus nondum rebus iis finis imponi potuit. Tandem ejusdem civitatis Noſtræ Gedanenſis Ordines, ut harum tractationum finis aliquando inveniretur, dicti portorii ſui binummalem auctionem, Nobis & Succeſſoribus Noſtris, Regibus Poloniæ coronatis, conſenſerunt M), hisce conditionibus: ut gravamina nominatim propoſita tollerentur & abolerentur N); civitas ad meliorem ſtatum & rei familiaris augmentum perduceretur O); & ipſi hoc gratificandi obſequio gratiam Noſtram Regiam integre ſibi conciliatam re ipſa experirentur O*). Nos igitur habita ſuper hoc deliberatione, cum Conſiliariis Noſtris Regni Noſtri, ac in his nominatim Terrarum Pruſſiæ P), civitati & ejus Ordinibus, tam de propoſitis augendi portorii conditio-

Præfatio. ditionibus, quam de tollendis gravaminibus, vigore præsentium litterarum, eo, qui sequitur, modo, cavendum & prospiciendum duximus, cavemus & prospicimus, consilio & consensu Consiliariorum Nostrorum in omnibus accedente Q).

A) Sunt Tractatus Portorii, conventio Regis Stephani cum civitate Gedanensi, de augendo & dividendo inter Reges ac civitatem portorio. Displicet tractatuum vox, illis, qui infra Regiam Majestatem esse credunt, cum civitate Regis imperio subjecta, veluti cum pari tractare, cum tamen negare nequeant, aliquoties cum Gedanensibus actum, priusquam convenirent, quæ in tractatibus illis constituta sunt. Præferunt privilegii vocabulum, quo usus supremus Regni Cancellarius, Jo. Zamoiscius, qui Regis nomine, cum Gedanensibus de auctione & divisione portorii ejusque conditionibus egit, conventionemque perfecit, cujus exemplum illo tempore, nonnunquam internuntii Gedanenses secuti sunt. Joannes III. in fine decreti sui a. 1678. Gedani lati, tractatus Portorii, nomine privilegii Stephani citavit: & novissime Rex Augustus III. in ordinatione pro civitate Gedanensi, portorii privilegium, pro portorii tractatibus dixit. Minus tamen aptum ad rem, privilegii est vocabulum, quia Gedanensibus non privilegio collatum est a Stephano portorium, quod jam supra duo sæcula, & antequam in ditionem Regis Poloniæ venissent, exegerant, in cujus, postquam auctum, communionem, Stephanus & Serenissimi Ejus Successores, per tractatus illos admissi sunt, qui si dicendi privilegium, Regum causa dicendi essent, quia hi, quod antea non habuerant, obtinuerunt, quorum tamen non est, accipere, sed sibi subjectis privilegia largiri. Merito præfertur Tractatuum titulus, cum Ipse Stephanus, in illorum præfatione fateatur, de auctione portorii, cum Suo Decessore, Sigismundo Augusto, multum & sæpius tractatum; initio sui regni tractationes nondum definitas fuisse; & civitatis Gedanensis

nensis Ordines harum tractationum finem optasse. Idem Rex a. 1581. Syndico Gedanensi, tractatus illos sæpe frustra susceptos, fassus est, & tractatus a. 1584. finitos, vocat transactionem & tractationes. Vid. infra not. O5). Civitatis etiam Ordines noluerunt, ut nova de portorio conventio, privilegium vocaretur, sed sponsio reciproca, aut litteræ *reversales*, quod Stephanus Suo & Successorum nomine, pro portorii communione varia vicissim spoponderat; estque horum Tractatuum in tabulario Gedanensi exemplum, quod illius temporis Syndicus, Henr. Lembke, collectioni eorum, quæ in hoc negotio acta sunt, adjecit, cujus titulus: *Sacrae Regiae Majestatis reversales litterae super binummali auctione portorii.* Sed prævaluit Tractatus aut Tractatuum portorii appellatio, quo nomine eos Sigismundus III. seorsum a. 1588. confirmavit, usique eodem Reges posteriores, in jurium Gedanensium confirmationibus generalibus, ut simul adderent, sive conventionem cum Serenissimo olim Stephano Rege, portorii ratione initam. Usui debetur, quod Tractatus illi plurali numero dicantur. Quod ad portorium, est pecunia, quæ tum ex mercibus mari importatis & exportandis, tum ex navibus quæ merces illas portant, solvitur, germanice Pfalgeld. Utroque vocabulo Stephanus, præfationis initio usus est. Generalis Magister Ordinis Teutonici, Theodoricus Burggrabius ab Altenburg, in diplomate, quo a. 1341. controversiam de portorio inter Elbingensem & Gedanensem civitates composuit, vocat pecuniam, vulgariter Pfalgeld dictam. *Curicke hist. Civit. Gedan. p. 149.* In Sigismundi I. privilegio a. 1526, legitur pecunia, sub vulgari vocabulo Pfalgeld. *Curicke. p. 159.* Cives tamen Gedanenses, in suis petitionibus a. 1552, Sigismundo Augusto oblatis, petitione 37, nominarunt vectigal *fundczol. Karnkov. de jure Provinc. Pruss. plag. f. p. 3.* & in Responso nomine Sigismundi Augusti a. 1570, Gedanensibus dato, vectigal, portorium, Pfalgeldum junguntur. *Karnk. plag. Q p. 7.* Sed Prussi, in publicis suis scriptis, vectigalis vocabulo abstinuerunt, usi portorii voce, quia ob sublata a Casimiro in omne tempus vectigalia, hoc ipsum nomen invisum erat, Prussosque Serenissimi Reges imitati, quoties portorii mentionem

 tionem

Præfatio. tionem fecerunt. In *Conſtitut. Regni* a. 1590. tit. *Rationes ſolu.* vol. 2. p. 1314. edit. nov. portorium, *Funtczoł Gdanſki* vocatur. Quando exigi ac pendi coeperit portorium, non liquet, tantum ex citato Generalis Magiſtri Ordinis Teutonici diplomate conſtat, jam ante annum 1341. in uſu fuiſſe.

B) Commiſſariis Regiis a. 1568. a Gedanenſibus in civitatem non admiſſis, graviter ſe offenſum Sigismundus Auguſtus credens, ſequenti anno, ſuos Commiſſarios mittebat iterum, qui cum civitate non prohiberentur, agebant cum iis civitatis Ordines, de Rege placando. Cui ex Commiſſariorum conſilio portorii dimidium, ſi prius duo denarii, qui ex ſingulis marcis adhuc exigi conſueverant, duobus aliis aucti fuerint, tum centum florenorum millia promittebant, quæ Ipſe Rex mutua acciperet, civitas vero annuas uſuras, & poſt annos decem, ſortem integram creditoribus ſolveret; a Rege viciſſim, reddita priſtina gratia, civitatis jura, privilegia, libertates, conſuetudines, jurisdictiones & poſſeſſiones ſervarentur; detenti in Polonia tres Præconſules & Conſul unus libere dimitterentur; & famoſus Fridwaldi in civitatem libellus, publico decreto, aliisque idoneis modis aboleretur. Hæc in placationis formula fuſius perſcripta ſunt.

C) Sigismundi Auguſti & Stephani tempore.

D) Civitatem non pure, ſed ſub conditionibus in auctionem diviſionemque portorii conſenſiſſe, partim ex nota B) conſtat, magisque litteræ ad Regem Stephanum a. 1577. ab Ordinibus civitatis exaratæ explicant, his quidem verbis: „Quod ad „placationes pactum attinet, clementiſſime dignetur Regia Veſtra „Majeſtas ad animum inducere, nobis in ea pertractanda, cum „ſolo Sereniſſimo Rege, Divo Sigismundo, negotium fuiſſe, cum „ob Ejus offenſam, quam propter excluſos Commiſſarios ſuos „conceperat, cui tamen excluſioni cauſam ipſimet præbuerant, „placandam, tum ad gravaminum publicorum abolitionem eo fa„cilius obtinendam. In omnibus autem illis actionibus, neque „Regni

„Regni neque Majeſtatis illius hæredum, neque Succeſſorum vel Præfatio.
„minimo verbo facta fuit mentio, nedum ut horum reſpectu „quicquam contractum fuerit quod ex ipſo placationis ſcripto di„lucide conſtat. - - - Neque vero placationis modum Ordines „adeo pure, ſimpliciter & indefinite, uti poſtea præter contra„hentium mentem aliorſum accipi cœpit, cum Dominis Commiſ„ſariis inierunt, ſed ut vel ad certum tempus, vel quoad in vivis „eſſet Regia Majeſtas, Eidem præſtaretur, tum autem ut uſus juri„um, privilegiorum, libertatum & conſuetudinum integer eſſet, „& viciſſim omnia gravamina penitus abolerentur, Ordines ſibi „diſerte præſervarunt. Ac quanquam iſtæ conditiones omnes, in „placationis ſcripto non ſint expreſſæ, (ſuadebant enim Com„miſſarii, non tam urgenter inter principem & ſubditos agendum, „ſed pro gravaminibus abolendis ſupplicandum potius) diſerte ta„men iidem Commiſſarii, placationis modum non ſecus ac Or„dines petiviſſent, iisdemque conditionibus acceptum, gravami„na quoque per Regiam Majeſtatem abolitum iri promittebant„. *Declaratio Ordinum civitatis de controverſia cum Rege Stephano plag. Hh. p. 7. 8.* Aliter tamen ſenſit Sigismundus Auguſtus, qui in Reſponſo Gedanenſium ablegatis a. 1570. dato, Conſtitutionibus Cnmmiſſariorum approbatis, dimidiam portorii partem *indefinite* Sibi oblatam declaravit, modo acceſſione duorum denariorum augeretur. *Karnk. jure provinciali Pruſſiae plag. Q. p. 7.* Quod ad temporis conditionem, in præfatione memoratam, erat annorum decem, quo finito, aut Sigismundo Auguſto mortuo, portorii diviſio finiretur, duo denarii, prioribus addendi, ceſſarent, & tantum duo denarii veteres exigerentur.

E) „Cum igitur, *ſic pergunt in citata ad Stephanum epiſtola, interjectis lineis aliquot, Ordines civitatis,* „prædefuncta „Regia Majeſtas, auctionem portorii ſponte remiſerit, gravami„na vero, de quibus pacti fueramus, non ſolum non abolita, ſed „interim multo majoribus etiam & longe pluribus præjudiciis dam„nis & expenſis, quam ex placatione praeſtandum fuiſſet, accu„mulata fuerint, eoque modo conditiones utriusque pacti, non ex civita-

Præfatio. „civitatis debito, sed ex parte Regiæ Majestatis defecerint, ideo certissime statuunt Ordines, se post defunctam Majestatem, cujus „obitu simul hoc negotium sopitum est, nec inclyto Poloniæ Regno, nec alii cuiquam, ejus pacti conventi ratione, quicquam debituros„. Quod ad rationem superiorum temporum, quæ simul citat Stephanus, attinet, intelligenda duo interregna, quorum alterum mortem Sigismundi Augusti, alterum post breve regnum, Henrici repentinum clandestinumque abitum excepit, quorumque intervallo, neque portorium augeri, neque conditiones, quibus in auctionem divisionemque Gedanenses consenserant, impleri poterant. Non tamen erat opus temporum illorum rationem allegare, cum Gedanenses, quod ex proxime præcedentibus constat, mortem Sigismundi Augusti, augendi dividendique portorii terminum statuissent.

F) Quia ergo duobus interregnis, de negotio portorii agi nequibat, factum, ut post mortem Sigismundi Augusti nihil esset constitutum, dum regnum capesseret Stephanus.

G) Sigismundus enim Augustus, in citato antea Responso Gedanensium ablegatis dato, „auctionem portorii, de consilio „Senatus Regni, decretoque comitiorum publico, propter publi„cam necessitatem approbavit, ac ob publicum regni commodum „& gravissimos publicos sumtus, quibus ærarium Regium & Re„gni bello & pace exhauriretur, de eorundem Ordinum Regni „consilio & sententia, gratam & ratam habuit, ita ut vel thesauro „Reipublicæ inferretur, vel ex Regis arbitrio dispensaretur, salva „quarta parte, quæ Reipublicæ cessura esset„.

H) Per hæc diversa studia factum, ut ab aliis Maximilianus Cæsar, ab aliis Stephanus, Transilvaniæ Princeps, Rex eligeretur. Dissensionibus his sine armis compositis, soli Gedanenses, qui in Cæsaris partibus fuerant, Cæsare jam mortuo, pro suis juribus obsidionem sustinebant, post quam, a Stephano, conditionibus compositis, in gratiam recepti sunt.

I) Ante

I) Ante civitates obsidionem, cum Gedanensibus actum Præfatio. aliquoties, ut Regi fidem & obsequium jurarent, a quo minime alieni erant, modo cum aliis gravaminibus, Commissio Karnkoviana, ejus constitutiones & cætera, quæ ex illa Commissione orta, abolerentur. Tum simul de portorii auctione & divisione facta mentio, ad quam civitas, post Sigismundi Augusti mortem, minime se obligari credebat. Recepta post obsidionem in Regis gratiam civitate, placebat, de augendo partiendoque portorio, in proximis comitiis agi, ubi cum nihil constitueretur, mittebat Rex legatum Gedanum, qui hinc, negotio pariter infecto, abiit. *Hist. Pruss. III. 280. 298.*

L) Susceptum hoc bellum a. 1579, ut, quæ Russi in Lithuania & Livonia expugnaverant, recuperarentur.

M) Pace cum Magno Moscorum Duce nondum composita, a. 1581, comitiorum tempore, mittebant Varsaviam Gedanenses, Præconsulem, Consulem & Syndicum, non ut in portorii auctionem divisionemque consentirent, sed ut Regis animum flecterent, ne quid in portorio novaretur: quibus supremus Regni Cancellarius confirmabat, perstare Regem in portorio, nullamque in iis, quæ gravarent civitatem, medelam sperandam esse, nisi hoc negotio ex Regis sententia confecto. Eo responso dimittebantur Gedanensium ablegati, qui sequenti anno, post pacem cum Russis, Varsaviam redibant, non tamen alio mandato, quam ut Regi pro portorio, pecuniæ summam ad ducenta florenorum millia intra annos viginti, singulis annis decem millia pendenda, offerrent. Sed Rege immoto, ablegatis, qui interea Varsaviæ manserant, civitatis Ordines mandabant, ut in portorii auctionem ac cum Rege divisionem consentirent, neque solus Stephanus, sed omnes Ejus Successores, non tamen prius, quam Regiis insignibus condecorati essent, portorio fruerentur. Quare in hunc diem, interregni tempore, pars portorii Regia, futuro Regi servatur, ac ipsi post inaugurationem repræsentatur.

 N) Me-

Præfatio.

N) Memorantur illa in citata *Declaratione Ordinum*, quorum correctionem, rogaverant Sigismundum Augustum Gedanenses, cum in auctionem & divisionem portorii consensissent, idque ex placationis formula patet. Nec minus ex ipsis tractatibus portorii cognoscuntur, dum Stephanus quæ civitatem gravabant, tollit.

O) Poterat civitatis status melior reddi & res familiaris augeri, si peregrinis per Prussiam negotiationem exercere non liceret, & societas mercatoria Anglica, quæ in Gedanensium injuriam sedem Elbingæ fixerat, inde abire juberetur, aut facultas negotiandi ad modum peregrinorum coërceretur.

O*) Hanc suam gratiam, Ipse Rex, cum tractatibus confectis, Syndicum Gedanensem Lemkium & Doctorem Bergmannum, post abitum cæterorum Internuntiorum dimitteret, declarabat, his quidem verbis: „Grata Nobis est obsequiorum atque „observantiæ testificatio, quam tum publico civitatis jussu, tum „Internuntiorum privato nomine significastis. Internuntii eo ipso „probarunt suum erga Nos subjectionis studium, quod matura ad „civitatem reditione & diligenti rerum hic expeditarum relatio„ne, negotium hoc promovere voluerint. Quamvis etiam diu„turnæ istæ ac longæ tractationes, Nobis & molestiam & tædium „pepererint, nec non vehementer Nos primum offenderint, ta„men cum videamus, finem opus ipsum tandem coronasse, atque „intelligamus, civitatem cunctationem illam ac moram, suo de„bito & promtissimo obsequio compensasse, offensam Nostram „atque indignationem commutavimus in clementiam & paternam „benignitatem, qua civitatem ejusque cives omnes, subditos no„stros fideles, semper sumus prosecuturi. De hac igitur Nostra „benigna voluntate atque benevolentia, reddite civitatem certio„rem & maxime securam, & certo promittite, Nos ejus ornamen„tis & commodis nunquam defuturos„.

P) Ejus-

Præfatio.

P) Ejusmodi deliberationes cum Regni Senatoribus & Prussiæ Consiliariis, ante & post civitatis obsidionem institutæ sunt. Et Prussiæ Consiliarii, ideo in consilium adhibendi erant, quod agebatur de causa Prussiæ notabili, quales causas cum communi Consiliariorum spiritualium & sæcularium, Nobilium & civitatum majorum terrarum Prussiæ consilio, terminari, tractari & definiri, privilegium incorporationis præcipit. Neque de portorio transactum erat, cum Rex 1582 ad Conventum Prussiæ generalem, de Gedanensibus referret, ut de juribus eorum, quæ haberent, Ipsum edocerent. Ad quod Ordines respondebant: „Ge„danenses asseverasse, se ob ea, quæ olim Regiæ Majestati pro„misissent, internuntios suos jam pridem ad Majestatem Regiam „misisse, nec dubitare, quin ea, bona cum Majestatis Regiæ gra„tia, componi possent„. Addebant Ordines: „se, ut id primo „quoque tempore fiat, optare, & rogare, ut Sacra Majestas Regia „ejus civitatis clementissimam rationem habere dignetur„. *Hist. Pruss. III. 423. Docum. p. 134.* Neque alia ex causa, Rex Gedanensium preces ad comitia rejecerat, quam ut Senatores consuleret.

Q) Confecti a. 1584 Tractatus, sequenti anno, comitiorum tempore, a Senatoribus approbabantur, conveneratque: „ut „si quæ ex his tractatibus a Senatoribus rata habita non fuerint, „neutra pars, ad totam transactionis formulam, præsentesque „tractationes, amplius obstricta & obligata esset, exactio aucti por„torii ipso facto cessaret, nec ulterius procederet, utriusque par„tis juribus integris & salvis permanentibus„.

§. I.

Auctio portorii ne juribus civitatis noceat.

Primum & ante omnia constituimus decernimusque & sancimus, verboque Nostro Regio

 pro

§. I. pro Nobis & Succeſſoribus Noſtris ſpondemus ac promittimus, quod iſthæc auctio portorii, civitatis Noſtræ Gedanenſis juribus, privilegiis, libertatibus, antehac habitis & poſſeſſis R), ipſi denique portorio, quod antiquitus poſſedit S), nulla ratione nulloque unquam tempore nocere, obeſſe, derogare vel præjudicare, nec poſſit nec debeat.

R) Portorium, ut reliqui reditus omnes, ad ſolam civitatem pertinebat, quod ideo auctum, ut pars illa, qua auctum, quæ jam totius portorii dimidium efficiebat, Regi obveniret. Ne ergo ad hoc exemplum, Reges aliquando ex aliis civitatis reditibus partem exigerent, aut civitati tributa extraordinaria pro ſe irrogarent, vel ex irrogatis a civitate, aliquid poſtularent, additum ſtatim initio Tractatuum, ne auctio portorii, civitatis juribus, privilegiis, libertatibus, antehac habitis & poſſeſſis, ulla ratione ulloque unquam tempore, nocere, obeſſe, derogare vel præjudicare poſſit aut debeat. Nihil enim ex civitatis reditibus, quos auxit admodum, Caſimirus, qui in ſuam ditionem recepit Gedanum, Sibi & Succeſſoribus ſervavit, duo tantum aureorum millia, ſingulis annis, in ſignum ſupremi dominii pactus; & quod ad extraordinarias civium collationes attinet, Caſimirus civitati jus conceſſit, aut potius jam tempore Crucigerorum exercitum, confirmavit, in ſolius civitatis uſum & neceſſitates eas decernendi, cum privilegium *de pecuniis ſubſidiariis* largiretur. Hinc Succeſſores Caſimiri, nihil ſibi ex civitatis reditibus, aut civium collationibus extraordinariis vindicarunt: civitas tamen, gratum ſuum animum declaratura, duo illa aureorum millia, quatuor millibus marcarum Pruſſicarum, levis monetæ, a. 1526 auxit. Ex Regum ergo exemplis, tum ex privilegio Caſimiriano de pecuniis ſubſidiariis, ac eo quod Crucigerorum tempore in uſu fuit, jura illa, privilegia, libertates, derivanda ſunt, quorum, occaſione aucti portorii,

portorii,

portorii, præſenti §. mentio fit. Et jam in *placationis formula* civitatis Ordines oraverant Sigismundum Auguſtum: „ne iſta „Pfalgeldi auctione, tam Terrarum Pruſſiæ, quam civitatis juri„bus, privilegiis, immunitatibus, libertatibus & conſuetudini„bus, in ulla parte præjudicaretur„. *Declaratio Ordinum plag. Mm. p. 8.* §. I.

S) A prima portorii inſtitutione, ſemper illud ſola poſſedit civitas, in cujus reditus nihil juris ſibi vindicavit Ordo Teutonicus, quod ex decreto Supremi Magiſtri, nota A) citato, quo controverſia de Pfalgeldo, inter Elbingenſes & Gedanenſes dirimitur, patet. Reliquerunt integrum portorium civitati Sereniſſimi Reges Poloniæ, ex quibus Sigismundus I. in privilegio a. 1526. „civitati Gedanenſi ejusque univerſæ communitati, eam pecuniam, „quam ab omnibus & ſingulis mercatoribus & negotiatoribus, „undecunque in portum Gedanenſem cum navibus & mercibus „ſuis cujuscunque generis applicantibus, pro reſtauratione con„ſervationeque ejusdem portus ſui, Gedanenſes antiquitus, ſub „vulgari eorum vocabulo, Phalgeld, exigere & ſublevare con„ſueverint, ex Regia Sua munificentia & conſenſu Conſiliario„rum Suorum perpetuo conceſſit, dedit, donavit, ita ut a quali„bet marca, de omnibus & ſingulis navibus, rebus ac mercibus, „per hunc portum dictæ civitatis, hinc quocunque mittendis ad„vehendisque, duos denarios Prutenicales exigere, ſublevare & „in uſus ſuos bene placitos nunc & in ævum convertere, ac pro „civitatis ſuæ commodo & utilitate applicare valerent„. *Curicke hiſt. civit. Gedan. p. 159.* Quare civitatis Ordines, in ſuorum ad Regem Stephanum ablegatorum mandatis, die 17. Decembris 1576 affirmant: „Pfalgeld ſeu portorii exactionem, jam ab ipſo civitatis „primordio, penes civitatem fuiſſe, etiam Ordine Cruciferorum in „hisce terris imperium gerente, atque ad reficiendum portum & „Iſtulæ aggeres, ſine quibus portus ille diu conſiſtere non poſſit, „civitati ab initio conceſſam & poſtea a Sereniſſimis Poloniæ Re„gibus, ſingulari privilegio confirmatam fuiſſe„. *Declaratio plag. Cc. p. 8.* Neque in portorii adminiſtratione, per portorii Tracta-

tus

§. II. tus quidquam mutatum, quam civitas Senatui suo olim permisit, cui providendum erat, ne ea imminueretur, sed illibata servaretur.

§. II.

Civitati centum florenorum millia, ac alia debita remittuntur.

Præterea pro rei ipsius æquitate, & ex certis ac justis rationibus, animum Nostrum permoventibus, tam centena millia florenorum, quæ in placationis olim formula simul expressa fuerant T), quam præteriti temporis auctionem, quoniam ea ad effectum perducta non fuit, usque ad initium veris proxime futuri U), & quidquid tandem aliorum debitorum, contributionum, retentorum aut residuorum Divo Sigismundo Augusto, atque usque ad tempus receptionis in gratiam Mariæburgi factæ debitorum nomine, prætendi possit V), pro Nobis & Successoribus Nostris remisimus & relaxavimus, & vigore præsentium remittimus & relaxamus, neque eorum nomine, Nos & Successores Nostri, civitati negotium, actionem vel molestiam exhibebimus, movebimus, inferemus, nec per alios quoscunque exhiberi, moveri, vel inferri patiemur.

T) Ho-

§. II.

T) Horum centum millium florenorum supra nota B) facta mentio est, quæ Sigismundus Augustus probavit, ut quid de iis fieri vellet, se civitati significaturum promitteret. *Karnk. de jure provinc. plag. Q. p. 8.* Mortuo Sigismundo Augusto, antequam ex hac summa aliquid accepisset, integra nomine Stephani, quasi in jus Sigismundi Augusti successisset a. 1576 postulabatur. Sed negabant Gedanenses, se eam Stephano debere, cum soli Sigismundo Augusto, non Successoribus, & sub conditione abolendorum gravaminum, quam non præstitisset, promisissent.

U) Oblatum Sigismundo Augusto ex portorio dimidium, si prius binis ex singulis marcis nummis auxisset, ut bini hi nummi Ipsi cederent. Verum non duplicavit portorium Sigismundus Augustus, & quod ex augendo portorio oblatum, Ipsi soli, non Successoribus oblatum, quare nova conventione opus erat, quæ Tractatibus Portorii continetur: quibus die 9 February a. 1584. confectis, misit Rex eodem mense, Jo. Tarnowscium, Regni Referendarium & Vladislaviensem ac Crusvicensem Præpositum, Gedanum, ut curaret, principio veris, dum navigatio inciperet, portorium duplicatum exigi, & tres illos Civitatis Senatores, qui portorio præessent, ac duos scribas, qui cum civitatis simul Regis portionem reciperent, ac in rationes referrent, Regi jurejurando obstringeret. Ex hoc tempore aucti portorii dimidium Regi obvenit.

V) Decretum in comitiis Lublinensibus a. 1569 tributum, etiam Prussis irrogabatur, idque contra provinciæ jura, per quæ Prussi ea tantum conferebant tributa, quæ ipsi in suis conventibus sciverant. Nihilominus a Nobilitate & minoribus Civitatibus exigebatur, lato in majores civitates, quæ juribus confisæ pendere detrectaverant, a 1572. decreto, ut nisi intra hebdomades octo tributum præstarent, a Palatinis vi adigerentur. *Hist. Pruss. II. 386. 402. 405. 419.* Gedanenses tamen, decreto hoc minime perculsi, nihil solvebant. Alia tributa Stephano jam regnante, Prussi decreverant, quæ Gedanenses ad se haud pertinere crediderant, a Stephano

§. III. Stephano in fidem non recepti. Erant & aliæ pecuniæ, a civitate singulis annis Regi præstari solitæ, quibus a *ratis* & statione nomen (Raten- und Stationgelder), quas a morte Sigismundi Augusti, Gedanenses in suos usus verterant, & ex quibus Stephanus, ob citatam modo rationem nihil receperat. Quicquid ergo & quocunque titulo civitas debere dicebatur, illud omne ad 12 Decembris a 1577, quo a Rege in gratiam recepta, ipsi remittebatur.

§. III.

Placationis formula, quando reperta fuerit, civitati reddetur, & interea irrita declaratur.

Placationis etiam formulam diligenter inquiri mandabimus, ac repertam quocunque tempore, ita uti Decessori Nostro exhibita fuit, civitatis ejus Ordinibus restituemus & redhibebimus X). Interim eam hisce litteris cassam irritamque esse, nec ullum postea firmitudinis, auctoritatis, valoris vel obligationis robur obtinere debere volumus: prout eam vigore præsentium, verbo Nostro Regio, pro Nobis & Successoribus Nostris cassamus, annihilamus, invalidam & irritam facimus, temporibus quibuslibet futuris, civitatemque in omnibus, quæ in contrarium attentari possint, indemnem præstare, & contra quosvis, qui

qui ea de re negotium facessere vel molestiam exhibere præsumserint, Nos Successoresve Nostri realiter, effectualiter, & de facto evincere, eliberare & defendere tenebimur. §. III.

X) Placationis formula, est scriptum, de modis, quibus Sigismundus Augustus, ob Commissarios suos a. 1568. intra civitatem non admissos graviter indignans, placaretur, a. 1570. receptis post alterum eorum adventum in urbem Commissariis, compositum, quodque in *Declaratione Ordinum de sua cum Rege Stephano controversia, plag. Mm. p. 5. & seq.* legitur. Offerunt in eo civitatis Ordines Regi, portorii duobus nummis augendi dimidium, ac centum florenorum millia, „ut Rex non solum omnium „offensionum & suspicionum oblivisci, ac civitatem ab omnibus „gravaminibus commissionum & inquisitionis liberare, sed etiam „de omnium incolarum perpetua fide & obsequio persuasus esse, „eosdemque in gratiam receptos, pari benignitate & clementia „commendatos habere ac in perpetuam rei memoriam de his „omnibus, publicis documentis sub Regis manu & sigillo confe„ctis, civitati plenissime providere velit„: aliis conditionibus additis. Formulam placationis Commissarii secum communicatam Regi mittebant, Qui probatam remittebat, ac sigillo majore omnium Ordinum firmatam, civitatis Internuntii Regi eodem anno exhibebant relinquebantque. Cum vero Rex conditiones in placationis formula memoratas non præstitisset, quin etiam Commissarii, suis constitutionibus, ac ipse Rex gravamina, quorum abolitio inter conditiones erat, auxisset, civitatis Ordines ad ea, quæ in formula promiserant, se non obligari credebant: ac secundus & tertius Ordo ægre ferebant, formulam illam Regi relictam esse, culpam in ablegatos Senatorii ordinis conferentes, quasi hi, insciis qui ex reliquis Ordinibus additi, Regi formulam exhibuissent, ut a. 1578 tertius Ordo inquiri postularet, a quibus Rex formulam accepisset. Missis postea ad Regem Stephanum de portorii negotio, inter alia etiam hoc mandatum, ut for-

§. III. formulam ſibi reddi curarent, ne illa centum florenorum millia, quaſi non ſoli Sigismundo Auguſto, ſed ſimul Ejus Succeſſoribus promiſſa, aliquando poſtularentur. Quid formulam repetentibus reſponderit Supremus Regni Cancellarius, ipſius verbis referam: „Ut verum fatear, ac Dominationibus Veſtris aperte & „ingenue dicam, neſcio quo loco formulam illam reperiam. Etſi „enim recorder & ſciam, quod Dn. Vicecancellario, tum tem„poris Cancellariæ Regenti, commiſſa ſit; tamen ſciunt Domina„tiones Veſtræ, quæ nunc boni iſtius ſenis ſit conditio, nec igno„rant, quæ noſtræ per hos annos continuæ fuerint oberrationes „& peregrinationes: ita ut partem ſcriptorum Vilnæ, partem Cra„coviæ, partem Kniſchini habeam, & cum mors Dn. Giſii nec non „mei Simonis, qui in expeditione illa interfectus eſt, intervene„rit, illique ejusmodi ſcripta aſſervarint, non ſcio ubi eam re„periam, ſed tamen bona fide inquiram, vel ſi ita ſubito reperi„ri non poterit, alio reſcripto caſſabo, eaque in re bona fide age„mus„. Quare acquieſcebant civitatis Ordines, ut ſi formula reperiri ac ſic reddi non poſſet, Rex Suo & Succeſſorum nomine, eam in ipſa conventione, ſeu tractatibus, aboleret, civitatemque contra quemcunque indemnem præſtaret, ut in præſenti §. Rex præſtitit. Anno 1596 rumor fuit, formulam placationis in aula fuiſſe viſam, ſed eventus docuit, vanum fuiſſe rumorem, manſitque hujus ſcripti exemplum, quod Sigismundo Auguſto olim relictum, in hunc diem in rerum perditarum numero. De formula placationis ſupra nota B) actum, mentione ejus in præfatione facta.

§. IV.

Qui portorium exigant. Jurent, qui exigunt, Regi coram Commiſſario rationes reddant, & in judicio reſpondeant.

Decernimus autem volumusque, ut portorium id exigant, more inſtitutoque priſtino, civitatis

tatis tres Conſules & duo ſcribæ, qui eo, quo hactenus fieri conſuevit modo, a Senatu eligentur, & conſtituentur Y), & Nobis peculiare juramentum in eadem civitate præſtabunt, coram Commiſſario Noſtro a Nobis deputato Z), & rationes coram Commiſſario Noſtro ibidem reddere Aa), atque etiam quoties opus fuerit, coram Nobis, tanquam ſervitores Noſtri, in judicio Noſtro reſpondere tenebuntur & erunt adſtricti Bb). §. IV.

Y) Sigismundus Auguſtus, portorii diviſione recepta, ſuæ parti Caſtellanum Gedanenſem, Joannem Koſtkam præfecit, „qui duos fidos & idoneos viros, civitatis collectoribus juncturus „eſſet, ut pro Rege dimidium colligerent„: quod ex Regio reſponſo civitatis internuntiis 1570 dato, patet. *Karnk. l. c.* Sed ob omiſſam auctionem, diviſione portorii non ſecuta, haud iis opus erat, qui Regis partem colligerent, nec facile civitas permiſiſſet, ut alii portorium exigerent, præter quos ipſa conſtituiſſet. Hinc cum regnante Stephano iterum in auctionem diviſionemque portorii civitas conſentiret, inter conditiones erat, ut totius portorii adminiſtratio, more majorum, penes Senatum eſſet, & cum Rex vel unum vel plures, aut ex Magiſtratu aut ex civibus, portorio præficere vellet, quibus civitas ſuos jungeret, negabat civitas, ſe in adminiſtratione mutationem aliquam admiſſuram eſſe. Quare Rex probavit, ut more veteri, tres Conſules portorium exigerent, ita tamen, ut tres illi Conſules Regi jurarent. De ſcriba magis certatum, quem Rex vel ex civibus Gedanenſibus, vel ex Pruſſis, vel ex Livonis, & quidem fidei probatæ, conſtituere volebat. Civitas vero per ſcribam, quem ipſa non creaſſet, jus adminiſtrationis imminui credebat, quod integrum fore Rex promiſerat, cum ipſa operam datura eſſet, ut rationes portorii, non minus quoad Regis, quam ſuam partem, bona fide conficerentur & redde-

§. IV. redderentur. Verum Rex in ſuo de ſcriba propoſito ita mentem obfirmaverat, ut eam mutaturum ſupremus Regni Cancellarius deſperaret. Non minus in ſua ſententia perſtantes Gedanenſes, offerebant, ſuos ſcribas Regi ſeorſum jurejurando obſtrictum iri: quod tandem Regem flexit, ut pariter ſuos ex portorio reditus a civitatis ſcribis in rationes referri conſentiret. Tres ergo portorii Præfecti eliguntur a Senatu, munusque hoc gerunt, donec vel ærario civitatis præponantur, vel Præconſules evadant. Scribæ non minus a Senatu creantur ex numero civium, referunturque ad *feudatarios* majores (groͤſſere Lehnsleute) ac manent quousque vivunt. Præfecti portorii, Regi, non civitati jurant, quia jurejurando Senatorio tenentur, ſed ſcribæ jurant antequam munus ſuum adeant. Præfecti & ſcribæ habent annuum ex reditibus portorii, tum Regis tum civitatis. Præter Præfectos & ſcribas, ſunt alii qui operam ſuam navant portorio, ſcilicet ſpeculatores ac inquiſitores, qui attendunt & inquirunt in merces advectas & evehendas, ubi ſuſpicio eſt, in denuntiandis mercibus non bona fidei agi. Caput illorum eſt ſpeculator, aut inquiſitor primus, qui Oberbeſucher, cum cæteri Schifsbeſucher vocentur: qui omnes a Senatu conſtituuntur, ei jurant, & ex communibus portorii reditibus, ſalarium recipiunt.

Z) Portorii Præfectos & ſcribas Regi jurare, dictum nota præcedenti, eſtque jusjurandum peculiare, aliud tamen præfectorum, aliud ſcribarum. Utrumque Rex ſcribi juſſit, jurantque Præfecti: „quod auctionem binummalem, ex parte Regiæ Maje-„ſtatis, fideliter & citra fraudem exigere, utilitatem & commo-„dum Majeſtatis Suæ attendere & procurare, ſi quid in præjudicium „& damnum Majeſtatis Suæ fieri a quoquam ſciverint, fideliter „Majeſtati Suæ aperire & certiorem facere velint. Ita ipſos DEUS „adjuvet„. Scribæ jurant: „ſe auctionem binummalem ex par-„te Majeſtatis Suæ fideliter & citra fraudem connotaturos, libros „rationum diligenter & fideliter confecturos, utilitatem & com-„modum Majeſtatis Suæ attenturos & procuraturos, ſi quid in „præjudicium & damnum Majeſtatis Suæ fieri a quoquam ſcive-„rint,

„rint, fideliter Majeſtati Suæ aperturos & certiorem Eam factu-„ros eſſe. Sic ipſos DEUS adjuvet„. Utriusque jurisjurandi forma ab Internuntiis civitatis probata, litterisque Regis univerſalibus inſerta, Gedanum mittebatur. Malebant quidem Gedanenſes, ut jusjurandum Regius Burggravius exciperet, conſentiebant tamen, ut id a Regio Commiſſario fieret, fuitque primus Regni Referendarius Tarnowscius, cujus mentionem nota V) ad §. II. fecimus. Hic poſt ſuum Gedanum adventum, & litteras Regias commiſſi negotii fidem facientes, & Regium mandatum exhibuit, cujus ſumma erat: „Regi, in conficienda de augendo „portorio tractatione, præclarum civitatis erga Se & Rempublicam „declaratum ſtudium perplacere, eoque nomine Senatui Ordini-„busque omnibus civitatis magnas habere gratias, ac poſſe ſibi „perſuadere civitatem, declarata hac ſua promtitudine & ſubje-„ctionis ſtudio, tantum acceſſionis ad conſtantem erga ipſam Re-„giam voluntatem ſecuturum, ut de promovendis & augendis „ejus ornamentis & commodis, ſedulam cogitationem Sua Maje-„ſtas Regia ita inſtituiſſe videatur, ut civitas ea ſibi polliceri, ea-„que expectare queat, quæ de optimo, prudentiſſimo & ſubdi-„torum ſuorum amantiſſimo Rege, fideliſſimi ſubditi ſibi promit-„tere & expectare poſſint ac debeant. Quoniam vero Commiſ-„ſarius miſſus ſit, ut vigore transactionis, auctionis portorii iſtius „nomine Regiæ Majeſtatis poſſeſſionem adeat, ac ab aliis qui a „civitate ad id munus obeundum deputati ſint, juramentum reci-„piat, facturos Ordines rem Regiæ Majeſtati gratiſſimam, ſi pri-„mo quoque tempore, id quod ſui officii, exſecuti fuerint, quod „cum facere voluerint, Commiſſarium officio ſuo non defutu-„rum eſſe„. Reſpondebant Ordines, die decima Aprilis, & poſt vota, pro felici rerum ſucceſſu, quæ ad Regis immortalem gloriam, dignitatem & amplitudinem pertinerent, optabant: „ut „delata Regis gratia in promovendis & augendis civitatis orna-„mentis & commodis, civitati & omnibus incolis ſuperſtitibus „& poſteris perpetuo, felix & fauſta eſſet, utque hoc promtiſſimi „& ampliſſimi obſequii ſui fructu, quam diutiſſime gauderent & „perfruerentur„. Tum ad jusjurandum tres Conſules ſeu Sena-tores

§. IV. tores, Henricus Niderhof, Michael Sivert, Jacobus Schelle, & duo scribæ, Joannes Husmann & Engelbertus Burmeister, sistebantur, a quibus vbi Regi esset juratum, credebant Ordines, fidelissimo obsequio Regiæ Majestatis satisfactum esse, illudque restare: „ut ea quæ Sua Regia Majestas in tractatione clementissime recepisset, de civitatis hujus fortunis augendis, promovendis, commerciorum commodis accumulandis, privilegiis & libertatibus „in Anglia recuperandis, de iis vero quæ in contrarium emergerent, tollendis & abrogandis, re ipsa experiri, & iis vere & „cum effectu gaudere, uti, frui, possent ac valerent„. Hoc responso publice lecto, primum tres Consules & post hos, duo scribæ, coram Ordinibus, Commissario verba præeunte, jusjurandum præstiterunt, idque, ut hujus rei testimonium exstaret, dicto responso addebatur, omnium Ordinum sigillo majore impresso. De ipso jurejurando addendum, quod a Rege Stephano latine missum, sed a portorii Præfectis & scribis germanice præstitum sit, ac in hunc diem obtineat, ut Regi germanice juretur. Locus ubi jurandum, in Tractatibus non diserte designatur, sed generatim in civitate id fieri præcipitur, factumque primum in curia, cunctis Ordinibus præsentibus, ut dictum antea. Postea pariter juratum in curia, sed ut videtur, solo Senatu, sine Ordinibus reliquis, præsente. Anno 1634, quia dicendo jurijurando sabbathi dies destinata erat, quo Senatus non habetur, ipse consentiebat, ut se absente, actus ille cum solo Commissario, in conclavi portorii sub curia (Pfalkammer) perageretur, ut tamen in posterum in curia juraretur: posterius an factum non liquet, cum jam dudum in portorii conclavi jusjurandum coram solo Commissario præstitum sit, qui sedens tecto capite, jusjurandum audit, nisi quod ad Regis nomen & quando ultima verba: ita me DEUS adjuvet, præit, caput nudet. Hæc enim sola verba Commissarius, reliqua unus ex civitatis Secretariis præit. Commissarius dum ad excipiendum jusjurandum venit, Senatui Regias litteras, fidem negotii cur missus facientes, exhibet, ut memoratus antea Tarnowscius reddiderat. Ejusmodi Commissarius non singulis annis, aut quoties vel novus Præfectus vel scriba creatur, mittitur, sed sufficit, si hi semel juraverint; imo Præfecti & scribæ munus suum obeunt, etiamsi Regi non juraverint. Augustus II. toto suo regno, quod fuit annorum 35, ter in sua verba jurari voluit, & Augustus III. intra annos viginti octo, bis.

§. IV. Aa) Non abnuebat civitas, a portorii Præfectis Regi ex sua parte rationes reddi, si modo id fieret coram Regis Commissario intra civitatem, cum Regni Cancellarius postularet, ut portorii Præfecti se Regi in aula sisterent, mox tamen civitati annuit. Redduntur rationes in portorii conclavi sub curia, ubi libri rationum, & alia ad rationes explicandas necessaria, custodiuntur, quæ non sine periculo alio transferri possunt. Ad rationes, ut ad jusjurandum excipiendum, non plures, quam unus Commissarius, admitti solent, quia Tractatus Commissarii non Commissariorum mentionem faciunt, idque usu servatur. Anno 1667 non unus sed plures venerant Commissarii, quibus tamen præter Regias rationes, alia civitatis negotia mandata erant, quæ salvis juribus, illorum cognitioni submitti nequibant. Hi portorii Præfectos primum in hospitium suum, deinde in curiam, ad rationes reddendas accibant, quibus tamen se Commissariis sistere a Senatu & Ordinibus haud permittebatur, quia rationes non a pluribus, sed ab uno Commissario, neque alibi, quam in portorii conclavi, inspiciendæ essent. Quare ut rebus cæteris infectis, sic rationibus non visis, Commissarii abierunt. Ut rationes lustret Commissarius, exhibentur ei libri, in quos rationes relatæ sunt, quas autem describere ipsi non licet, ne commerciorum conditio & quomodo exerceantur, in civitatis damnum vulgentur. Recte vero se habent binummalis auctionis rationes, quando conveniunt cum civitatis ex portorio reditibus, quia æquis partibus reditus inter Regem & civitatem dividuntur. Ejusmodi Commissarium ad rationes, potest Rex mittere quoties placuerit, quod tamen raro fit, & post annos multos, misitque Rex Augustus III. regni sui vicesimo septimo, Augustus II. tricesimo quinto anno. Præter modo dictos Commissarios, ad jusjurandum & rationes, est Commissarius, qui quicquid pro Rege exactum, recipit, simul ne

§. IV. ne quid in Regis damnum fiat, attendit. Talem Commiſſarium ex aulicis, primum Vladislaus IV. inſtituit, cum antea ex civibus aliquem habuerit Rex negotiorum geſtorem, vulgo *Factor* appellatum, qui pecuniam ex portorio reciperet, & alia ſibi a Rege mandata curaret. Quando vero Commiſſarius in civitate adeſſe non poteſt, addit ipſi Rex Vice-Commiſſarium, quem a. 1660. primum creavit Joannes Caſimirus, quamvis etiam vices Commiſſarii obire poſſit, titulo Vice-Commiſſarii non inſignitus, modo litteris Regiis ad Senatum doceat, ſibi mandatum eſſe, pecunias ex portorio recipere: ejusmodi litteras, ut etiam Commiſſarius & Vice-Commiſſarins exhibeant, neceſſe eſt.

Bb) Non ſufficiebat, Regis Commiſſario in Civitate rationes reddi, ſed poſtulabatur, ut idem etiam Ipſi Regi extra civitatem fieret. Quod civitas deprecabatur, vt evocationibus Præfectorum portorii in aulam occurreret, ac omnia quæ ad portorium, intra ſuá moenia peragerentur. Explicabat Regis mentem ſupremus Cancellarius, tum arceſſendos Præfectos, ſi quando Ipſe Rex, eorum fidem & induſtriam in curandis ſuis reditibus, inſpicere vellet. Quare Internuntii civitatis volebant inſeri, ſi Præfecti in ſuſpicionem adducti eſſent, & tum credebant, compellandos eſſe coram civitatis Senatu, qui primus cognoſcere ſoleat, quando Senatores, muneris negligenter & improbe geſti arguuntur. Præferebat Cancellarius *ſuſpicioni* verba *quoties opus fuerit*, addebatque, Præfectos tanquam Regios *Servitores*, non alium niſi Regem habere judicem. Diſplicebat Internuntiis, ſolos portorii Præfectos, Regios appellari *ſervitores*, cum omnes Ordines, cunctique cives, Regis eſſent *ſervitores*, quia Regi ut Domino, fidem & obſequium deberent. Reſpondebat Cancellarius: arctiori vinculo Præfectos conſtringi, quod pecunias Regias curarent, & ad recte curandas, peculiari jurejurando tenerentur. Tandem in eo acquiescebant Internuntii, cum Cancellarius adderet verba: *in judicio Noſtro reſpondere tenebuntur & erunt adſtricti;* quod ipſis perſuaſiſſimum erat, non tam male verſaturos in curandis Regiis reditibus Præfectos, ut ad judicium citan-

citandi eſſent; idque toto tempore, quo Reges portorii fuerunt participes, haud contigit. Quod enim a. 1760 portorii Præfecti a Rege acciti, non ideo factum, ut cauſam in judicio Regio dicerent, nam Commiſſarius Regius, qui paullo ante, eodem anno rationes Gedani excuſſerat, eorum fidem & induſtriam laudaverat, ſed ut de re aliena, nempe civium Zulaga, quæ ad ipſos nihil pertinet, extra judicium reſponderent. Quod cum minime ex mente Tractatuum portorii fieret, eorum abſentia apud Regem excuſabatur. Et cum nihilominus mandatum poenale ſequeretur, multam, niſi adeſſent, centum millium aureorum minitans, civitatis Ordines priores rationes & preces repetebant, ſimul Regem, ne innocentibus tam gravem multam irrogaret, obſecrabant. Quare Optimus Princeps, & iter Præfectorum portorii urgere deſiit & de multa ſiluit. §. V.

§. V.

Quantum ex mercibus ſolvendum, civitatis Senatus conſtituat.

Volumus etiam & conſentimus pro Nobis & Succeſſoribus Noſtris, ut æſtimatio exigendi de mercibus portorii, pro valoris conditione, penes Senatum, more hactenus conſueto, permaneat Cc).

Cc) Facultas conſtituendi portorii pro valore mercium, erat pars adminiſtrationis, quam integram ſibi ſervabat civitas, cum Regem Stephanum Ejusque Sereniſſimos Succeſſores, in communionem redituum ex portorio reciperet. Quare Ordines initio tractationis orabant, ut adminiſtratio totius portorii & mercium æſtimatio pro valore conditionis, more Majorum penes Senatum

§. V. natum remaneret. Ad quod Regis nomine respondebatur: „æstimatio exigendi de mercibus portorii, pro valoris conditione, quo „minus penes Senatum more hactenus observato permaneat, Regiam Majestatem non impedituram esse„. Inde de hac re disceptandum non erat. Si valor mercium semper maneret idem, non opus esset nova æstimatione, quantum ex mercibus, titulo portorii, solvendum, at dum valor variat, ut modo minor modo major sit, sequitur, portorium, quod ad mercium pretium exigitur, non posse manere idem. Hanc ob causam, singulis annis, sub veris initium, prius quam incipit navigatio, portorii Præfecti conveniunt, & a mercium *proxenetis*, de illarum pretio edocti, quantum ex iis portorii nomine, hoc anno solvendum, conscribunt, idque ad Senatum referunt, qui quod a Præfectis constitutum, vel approbat vel mutat, pro commerciorum utilitate, quæ augentur, si sumtus minores quam apud vicinos fuerint.

§. VI.

Portorium non amplius augendum.

Neque supra binummalem auctionem, portorium vel ex Nostra vel ex civitatis parte, ulla ratione amplius augebimus, neque Successores Nostri augebunt Dd).

Hanc binummalem auctionem, soli Sigismundo Augusto civitatis Ordines, in placationis formula obtulerunt, simul explicarunt, his quidem verbis: „quocirca unanimi tandem omnium „consensu humillime conclusum est, quemadmodum totius Com„munitatis nomine, hisce præsentibus consentimus, primum, ut „accedente eam in rem Sac. Reg. Majestatis indulgentia & consen„su, vetus Pfalgeldii, ut vocant, exigendi ratio, augeatur ad hunc „modum, præter usitatos duos denarios Prutenicales de una qua„libet

„libet marca, ad civitatis proprietatem & reditus ab antiquo per„tinentes, alii duo denarii, de una qualibet marca, ex omnibus „navibus & mercibus importatis exportandisve, Sacræ Majestati „Regiæ concedantur, quam duorum denariorum auctionem, ipsi „Majestati Regiæ ex summo subjectionis studio offerunt„. *Declar. Ord. plag. Mm. p. 7.* Cum hanc binummalem auctionem, Stephanus sibi & Successoribus Suis asserere conaretur, & Ordines tandem consentirent, hanc addebant conditionem: ne supra binummalem auctionem, portorium amplius augeretur, nec ex Regiæ Majestatis, nec ex civitatis parte; in quod Rex facile pro Se & Successoribus Suis consensit. Sed proximus Stephani Successor, Sigismundus III. qui singulari diplomate a. 1588 portorii Tractatus confirmaverat, „& omnia ac singula, quæ in illis continentur, „non infringere, nec violare aut diminuere, sed multo magis fir„miter & inviolabiliter tenere & observare promiserat„ augendi portorii pro Se a. 1595. cepit consilium. *Hist. Pr. IV. 201.* Quod cum non successerat, misit 1615 Gedanum, Succamerarium Mariæburgensem, Jac. Sczepanscium, qui civitati exposuit: „Regem ex „certis nuntiis intellexisse, Galliarum, Angliæ & Daniæ Reges, „tum etiam Status civitatum Belgicarum, ita auxisse vectigalia por„toriorum, ut magna pars redituum accreverit; non alienum a ra„tione S. R. Majestatem arbitrari, ac e commodo tum Suo, tum „etiam subditorum suorum, ad quos portoriorum reditus pertine„rent, si idem in ditionibus provinciisque suis, quas mare bal„thicum alluit, institueretur, ut nimirum a mercibus suis, mer„catores peregrini *majus aliquod solito pretium*, conformeque „vel non absimile ei, quod in portubus memoratorum Regum „dependeretur, solverent. Cum vero ea in re sine consensu eo„rum omnium, qui portus aliquos habeant, nihil certi statui ac „determinari posset, tractasse S. R. Majestatem cum illustrissimo „Electore, Ducibusque Curlandiæ, ac illos consensisse, modo „civitas Gedanensis suum assensum præberet, proponere velle Ri„gensibus & aliis, quos S. R. Majestas non alienos fore ab hoc „Suo proposito judicet. Postulare itaque Regiam Majestatem, ut „Magistratus Gedanensis, ad eam rem rite perficiendam, consen„sum

§. VI. „ſum ſuum præberet, voluntatique S. R. Majeſtatis ſeſe accom-
„modaret, ac Eidem ſententiam ſuam eo in negotio aperiret„.
Reſpondebat urbis Senatus: „ſe auctionem portorii ad conſilium
„Ordinum revocaſſe, quam ita comparatam eſſe ſentire omnes,
„ut prima quidem fronte appareret, & Sac. Reg. Majeſtati & ci-
„vitati huic non mediocrem allaturam utilitatem; ſed ſi penitius
„introſpiciatur, non modo cum maximo civitatis incommodo
„& diſpendio conjunctam, verum etiam ad ipſius regni non me-
„diocre detrimentum pertinere videri: quod ſine dubio animad-
„vertentes Illuſtriſſimum Electorem, Duces Curlandiæ, Rigen-
„ſes & alios, quos Sacra Regia Majeſtas hoc nomine requiſiverit,
„declinandæ invidiæ cauſa, ab hujus civitatis aſſenſu approbatio-
„nem ſuam videri ſuſpendiſſe. Habere enim hanc civitatem in
„exteris Regnis, provinciis & civitatibus certas commerciorum
„libertates & immunitates, certis pactis & conditionibus circum-
„ſcriptas, quibus inter alia cautum, ne in hac urbe novo quo-
„piam exactionis genere, ipſi quoque exteri onerentur: quibus
„aucto portorio cauſam præbitum iri, ut & illi civium Gedanen-
„ſium apud ſe immunitates & privilegia reſcindant, eosque ma-
„joribus quam antea exactionibus onerent, unde commercia
„apud exteros deſerere tandem Gedanenſes coactum iri. Id ſu-
„perioris auctionis ſub D. Stephano factæ exemplum comproba-
„re, eo enim adductum Sereniſſimum Regem Daniæ, novam ex-
„actionem, Laſtgeldum vocatam, binummali auctione longe gra-
„viorem impoſuiſſe. Eſſe mercatores ejus ingenii, ut libertates &
„immunitates commerciorum ſectentur, oneraque quantum poſ-
„ſint defugiant, aucto itaque portorio, hanc urbem averſaturos &
„negotiationes alio converſuros eſſe, unde futurum, ut merces e
„Regno devectæ vileſcant, & exportationis fructu deſtituan-
„tur - - - - - . His & aliis de cauſis olim factum, ut D. Rex
„Stephanus, pro Se & Succeſſoribus, diſertis verbis hanc clauſulam
„privilegio Tractatuum portorii inſeruerit, quód ſupra binumma-
„lem ejus temporis auctionem, portorium vel ex Regis, vel civi-
„tatis parte, ulla ratione amplius augeri non deberet. In quo ut
„nunc etiam Sacra Regia Majeſtas clementiſſime acquieſcere di-
„gnetur,

§. VI. „gnetur, Senatum humillime rogare„. Ex hoc tempore nihil de augendo portorio cum Gedanenſibus actum, quod in hunc diem, uti inter Stephanum & civitatem convenerat, manſit. Quod enim nuper a. 1761. quidam de aucto a Gedanenſibus ſub Zulagæ titulo pro ſe portorio, aut prioris portorii additamento finxerat, merito ad ſomnia referendum, auctoremque, cujus nomen ignoratur, in ſupplemento aſſertæ Zulagæ, Ordines confutarunt. Idem dicendum, quando idem auctor duo format portoria, quorum alterum Gedanenſes cum Rege dividant, alterum integrum in ſuos uſus vertant.

§. VII.

Nemo a portorio immunis ſit.

Immunitates quoque, quibus proventus portorii diminuantur, Nos & Succeſſores Noſtri nemini dabimus Ee), neque Noſtrarum mercium nomine & colore, quemquam portorium illud eludere vel intervertere, permittemus Ff).

Ee) Ante portorii auctionem diviſionemque, coëmtæ in uſum exterorum Principum Gedani merces, Senatu litteris ab iis compellato, ſine portorio exportabantur; neque fructu caruit hæc humanitas, Principibus illis, ſi quid in rem civitatis præſtare poſſent, viciſſim promtis. Quid autem Rege in portorii communionem recepto, in gratiam Principum exterorum decernendum, id quidem Regi civitas permittebat, cui ſatis erat, petere, nemini immunitatem concedere, qua civitatis proventus diminuerentur, nec Regiarum mercium colore, nec cujusvis alterius rei nomine; utque liceret portorii Præfectis, ejusmodi immunitatis litteras non recipere. Reſpondebatur Regis nomine: „immu-
„nitates, quibus portorii proventus diminuantur, nemini Regiam
„Maje-

§. VII. „Majeſtatem conceſſuram eſſe„: idque Tractatibus ita inſerebatur, ut ſimul Succeſſores obligarentur. Iidem tamen Sereniſſimi Succeſſores, exterrorum Principum, horumque legatorum res portorio immunes eſſe voluerunt. Nonnunquam quidam ex Regni Senatoribus, portorium pendere detrectarunt: ſed civitas reſtitit, Regemque oravit, ne iis exemtio indulgeretur. Arma tamen, quæ pro exercitibus Regni & Lituaniæ mari veniunt, ad Regis teſtimonium, portorio libera ſunt. Sic non ſolum Regis, ſed ſimul civitatis ex portorio reditus minuuntur, quod fieri Tractatus vetant. Civitas enim nihil ab iis accipit, quibus Rex ſuam partem remittit, quo Regis & civitatis rationes inter ſe congruant, & ſuſpicio vitetur, acſi mala fide in Regiis reditibus verſati eſſent portorii præfecti, quando civitatis reditus ſupercurrerent. Hoc etiam jure, quo Reges immunitatem a portorio largiti, civitas olim interdum uſa, quando ex rebus, quibus nullum commercium exercebatur, modicum titulo portorii, ſolvendum erat, quia Tractatus non majorem Regibus, quam civitati poteſtatem permittunt. In præſens vero Senatus plane abſtinet, cum ipſi in Ordinatione Auguſti III. art. X. „ſub amiſſione privilegii adminiſtrationis portus & maris, nec non præfectis portorii, ſub vinculo juramenti mandatur, providere, ne in poſterum ulla navigia a portorio debito ſint immunia, vel theſauro Regio ex negligenti illius exactione quicquam decedat„.

Ff) Cum civitas peteret, ne immunitas a portorio, colore mercium Regiarum daretur, videbatur civitas, illam immunitatem Regiis mercibus negare velle. Quare pro Rege reſpondebatur: „iniquum ſane Regiam Majeſtatem arbitrari, a ſuis mercibus, contra publica Principum jura, quicquam exigi, iniquius Regiarum mercium obtentu, quemquam Rempublicam defraudare; itaque colorem quidem, modo res ipſa non tollatur, Regiam Majeſtatem tollendum putare. Id autem quomodo fieri poſſit, ſi commodas aliquas rationes civitas propoſuerit, non invitam eas Regiam Majeſtatem amplexuram eſſe„. Ad quæ civitas: „non aliquod onus Regiis mercibus imponi vel portorium „exi-

„exigi, ſed id peti, vt is qui merces iſtas emtionis vel alio titulo „comparaverit, portorium tum præſtet, cum easdem mari exportare, & in alienas regiones transmittere voluerit; eſſe vero „rationem convenientiſſimam ad intervertendum portorium, „quando talium mercium immunitatum prætextu, quilibet ad „evitandam portorii ſolutionem uti facile poſſet„. Tandem illa verba placebant, quæ in ipſo §. leguntur. Ne ergo privati prætexant, eſſe Regias res & merces, cum non ſint, & portorii immunitate gaudeant, Regis teſtimonio opus eſt, ut conſtet, eſſe vere Regias & Regis uſibus ſervire. Olim ſufficiebat, ſi civis, qui Regis negotia Gedani curabat, vulgo Regius *Factor* vocatus, fide jurisjurandi ſui civici aſſeveraret, vere eſſe res Regias; ſed poſtea ſcriptum ex aula teſtimonium neceſſarium habebatur, quod & hodie exhibendum eſt, ſi Regiæ res portorio immunes eſſe velint. A. 1682. res pro Rege ex Gallia miſſæ detinebantur, donec teſtimonium ab aula veniret, & a. 1686. decernebat civitatis Senatus, ut res Regiæ cuſtodirentur, donec Regium teſtimonium exhiberetur, aut tantum pecuniæ deponeretur, quantum portorii nomine præſtandum eſſet. Sed ad teſtimonium Abbatis Olivenſis, tanquam Commiſſarii portorii, res illas ad Regem pertinere, liberæ dimittebantur, ut tamen civitatis Secretarius ad aulam reſidens, diligenter exquireret, an res illæ, & quidem omnes, vere Regis eſſent. Interim ſæpe audita querela, inter Regis res, Rege plane inſcio, etiam privatorum latere, quibus portorium eludatur. Poena autem eorum, qui portorium eludunt, quamque decernit Senatus, eſt rerum & mercium publicatio, alias confiſcatio, quibus ſub haſta venditis, tertia pecuniæ pars, Regi ſervatur, reliquæ duæ inter civitatem & eos, qui attendunt ne portorium eludatur, in vigilantiæ ſuæ præmium & incitamentum, dividuntur. Hanc in fraudationem portorii animadverſionem ſolus Senatus, ſine provocatione ad Regem exercet, jure adminiſtrationis, quæ ipſi, diviſis cum Rege ex portorio reditibus, integra manſit, neque Reges ſua auctoritate intervenerunt, ſecus Senatus jus ſuum ſubmiſſiſſime tuitus fuiſſet. §. VII.

§. VIII.

§. VIII.

§. VIII.

Locus ubi portorium recipiatur.

Ut præterea in loco consueto intra civitatem, & non alibi, portorium conjunctim percipiatur Gg), & ibidem rationes nautarum & mercatorum, de navibus Hh), bonis & mercibus Ii) illorum ineantur & conferantur.

Gg) Quæ præsens § continet, cum a civitate ad Regem deferrentur, Rex statim probabat. Consuetus intra civitatem pro portorio locus, est conclave in parte curiæ inferiore, cui a portorio nomen, vulgo Pfalkammer, ubi portorii Præfecti & scribæ munia sua peragunt, & pro Rege ac civitate portorium una recipiunt, ut neutrius portio solvenda sit seorsum, neque duorum sed unius videatur portorium: quod postea in duas æquas partes dividitur, quo omnis absit suspicio, plus civitati quam Regi ex portorio obvenire.

Hh) Navibus, sive oneratæ sive vacuæ veniant, aut abeant, portorium est solvendum, & quidem pro diversa magnitudine, modo plus, modo minus. Hinc in rationibus ineundis nautarum fit mentio, quia illi pro suis navibus portorium solvunt.

Ii) Inter bona & merces hoc est discrimen, quod merces dicantur, quæ commerciorum causa importantur & exportantur, bona vero, quæ alicujus usui serviunt, & ideo comparata sunt, ut usui serviant. Mercium pretium in tabula est propositum, ut quilibet sciat, quantum titulo portorii solvendum. Cum vero inter bona multa sint, quibus pretium ab alio statui nequeat, permittitur ei, cujus bona sunt, aut a quo pro alio comparata, eadem æstimare, ut tamen æquitatis ratio habeatur. Quamvis etiam merces & bona promiscue dicantur.

§. IX.

§. IX.

Litteræ passus pro navigantibus.

Utque litteræ passus, sub consueto civitatis sigillo, enavigantibus edantur Ll).

Ll) Sine ejusmodi litteris *passus*, quæ in cancellaria civitatis inferiore scribuntur, nulla navis ex portu egreditur, ut se mari committat. Jus dandi illas litteras, ex custodia maris & cura commercii maritimi ortum, quam civitati Casimirus contulit, aut potius confirmavit, quia civitas utramque ante Casimirum exercuit, & in qua Stephanus nihil mutavit, cum in communionem portorii admitteretur. Sigillum quod supra cera rubra litteris istis imprimitur, imaginem navis præfert cum inscriptione. A. 1689 sub sigillo cameræ in aula edebantur litteræ passus, quæ, civitate fortiter contradicente, eodem anno cessabant: eodemque successu a. 1699 Regi civitas jus suum exposuit, cum aula litteras illas sibi arrogare vellet. Præter passus, etiam aliæ litteræ ex eadem cancellaria sub eodem sigillo prodeunt, quibus navigantibus commerciorum causa opus est.

§. X.

Modus percipiendi portorium, a Rege nunquam mutandus.

Et generaliter omnem hanc percipiendi portorii rationem, Nos & Successores Nostri, nunquam in posterum mutabimus & innovabimus Mm).

Mm) Quod enim de percipiendo portorio, inter Stephanum & civitatem constitutum, pro lege perpetua haberi debebat,

§. X. ad quam ſancte colendam, tum civitas, tum omnes Poloniæ Reges, Stephani Succeſſores, obligarentur, ut neque Iidem Sereniſſimi Reges, neque civitas aliquid mutare, aut hæc, ut mutaretur, permittere poſſet, cui etiam atque etiam curandum, ut portorii adminiſtratio penes ſe illibata maneat, Tractatibus portorii a ſingulis Regibus confirmatis.

§. XI.

Jus civitatis maritimum.

Volumus etiam, ſancimus & promittimus, Nos & Succeſſores Noſtros, civitatem in jure maritimo, quæque illi affinia ſunt, quæ civitati competunt, perpetuo conſervaturos Nn), eamque in rem, nominatim privilegium D. Caſimiri Regis & Anteceſſoris Noſtri, datum in eadem civitate Noſtra Gedanenſi, dominica cantate anno Domini MCCCCLVII. Oo) quod de facultate navigationes ac littora regendi, adminiſtrandi, navigationem aperiendi & claudendi, cum Noſtro tamen conſenſu & voluntate, exprimit ac diſponit Pp), auctoritate Noſtra Regia, pro Nobis & Succeſſoribus Noſtris, confirmamus, renovamus, corroboramus ac jubemus & ſancimus, ut ſecundum iſtius privilegii tenorem, civitas in ejus juris plena ac pacifica poſſeſſione & uſu, uti hactenus fuit, deinceps etiam, absque aliquo præjudicio vel impedimento

dimento, perpetuis temporibus relinquatur ac conſervetur. §. XI.

Nn) Duo ſunt in Conſtitutionibus Karnkovianis capita, alterum de Regalibus, alterum de juramento Præfecti portus maris. Prius ſimul de Regio maris imperio agit; poſterius præcipit, ut Præfectus propugnaculi ad portum, coram Regiis Legatis, Regi, Regno & civitati juret. De priore metus erat, ne ejus explicatione jus civitatis maritimum minueretur, quæ ſibi nullum maris dominium arrogaverat, ſed iis tantum pro ſua incolumitate uſa erat, „quæ ſibi de jure & ex privilegio ad defenſionem littorum, „& ad conſervanda commercia & liberam navigationem compe„tiiſſent„. *Declar. Ord. plag. Dd. p. 2.* Poſterius vero conſuetudini adverſabatur, qua Præfectus propugnaculi ad portum, ſoli adhuc civitati juraverat. Non ſilentio transmittebant hoc ſuum jus maritimum civitatis Ordines, cum de augendo portorio agerent, ſed inter conditiones referebant: „ne juribus & privilegiis „ſuper jure maritimo, & poſſeſſione portus, fluminis, propugna„culi quidquam derogaretur, ſed civitas absque ullo impedimen„to vel præjudicio, in plena & pacifica poſſeſſione & uſu, uti ha„ctenus fuit, deinceps etiam permaneret„. Reſpondebatur: „in „jure maritimo, ac iis quæ illi affinia ſint, quæ legitime civitati „competant, Regem benigne civitatem tuiturum; interim tamen „ne ipſa quoque plus quam ad eam pertineat, juris ſibi uſurpet, „ab eadem exigere„. Diſplicebat addita exceptio, rogabaturque Rex „ut citata antea Ordinum verba in juris maritimi con„firmatione repeterentur, ne jus civitatis, quod a nullo priorum „Regum impugnatum, in dubium vocari vel incertum reddi vi„deretur„. Denique optabant Ordines: „ut ad mentem privile„gii, civitas in hujus juris plena & pacifica poſſeſſione & uſu, uti „hactenus fuit, deinceps absque aliquo præjudicio relinqueretur„. His annuens Rex, & quæ privilegium Caſimiri continebat, confirmabat, & civitatem in maritimi juris plena & pacifica poſſeſſione & uſu conſervabat.

 Oo) Vo-

§. XI.

Oo) Vocatur hoc privilegium, quod germanice ſcriptum, Haupt-Privilegium, ac in *Curickii hiſtoria Gedanenſi p. 153. & ſeqv.* legitur. Continet illud, præter maritimum, plura alia civitatis jura, ut ex hac ratione merito dicatur Haupt-Privilegium, quaſi cæterorum privilegiorum caput, aut præcipuum.

Pp) Sunt verba Regis Caſimiri germanica: Vorbas ſo verleyhen Wir und geben . . . . . . vollkommene Macht und Gewaldt, alle und itzliche Schifffahrte, mit allen Stranden des Meeres unſer Lande zu Preuſſen zu regieren und zu beſtellen, und zn guberniren, und alle Segelatie zu gebieten und zu verbieten, mit unſerm Rathe, Wiſſen und Willen, oder unſers Anwalden in unſerm Abweſen . . . . . Und alle Waſſerrechte, Schiffbrochige Gütter und Kauffenſatze, welcherley die ſeyn, zu richten, zu entſcheiden, und zu enden (enthalben unſer Königlichen Gerechtigkeit, uff ſolche Schiffbrochige Güter und Kauffenſatz, nach Lude und Inholde deß Haupt-Privilegii, unſirn Landen Preuſſen zu Krakaw gegeben) und alle Strande und Havenunge des Meers, unſir Herrſchafften deß Landes zu Preuſſen, ohne eines jedermanns Einfälle und Verhinderunge, vor alle Seeroberen, Roobern, Dieben und Miſſethätern, zu Waſſer und zu Strande zu beholden und zu vorweſen, und die zu richten. Plura ergo Caſimiri privilegium continet, quam ex eo Stephanus repetit. Nam non ſolam facultatem navigationes ac littora regendi, adminiſtrandi, navigationem aperiendi & claudendi, Caſimirus Gedanenſibus contulit, ſed etiam controverſias maritimas, de jure maris, de bonis naufragis & mercibus judicandi & dirimendi, tum omnia littora & portus Pruſſiæ, a piratis, latronibus, furibus, aliisque facinoroſis cuſtodiendi, hosque damnandi & puniendi. Non tamen ideo Stephanus jus civitatis maritimum imminuit, quia non omnes ejus partes memoravit, cum promiſerit: Se & Succeſſores Suos, civitatem in jure maritimo, & iis que illi affinia ſint, ac civitati competant, perpetuo conſervaturos eſſe, ſimul juſſerit: „ut „ſecundum Caſimiriani Privilegii tenorem, civitas in juris ma„ritimi plena ac pacifica poſſeſſione & uſu, uti hactenus fuit, re„linquatur„. In hoc ſolo, a Caſimiro diverſus eſt Stephanus, quod

§. XI.

quod Caſimirus ad claudendam & aperiendam navigationem, ſuum & ſe abſente, vicem ſuam ſupplentis, ſeu Burggrabii, conſenſum exegerit, Stephanus tantum ſui conſenſus & voluntatis meminerit. Clauditur autem navigatio, quando commercia maritima interdicuntur, quæ aperitur, quando commercia permittuntur. Quod ad ſecuritatem maris, littorum & portuum attinet, illam ideo Caſimirus Gedanenſibus mandaverat, quod navibus, non tantum onerariis, ſed etiam in bellum armatis, valebant, ut etiam claſſem inſtruere potuerint. Poſt Stephanum, jus maritimum Gedanenſium, Joannes III. in fine decreti ſui a. 1678 Gedani lati, confirmavit, cum cenſeret, nihil in illo innovandum eſſe, ac privilegiis Caſimiri & Stephani inhæreret. Auguſtus III. in ſua *Ordinatione Art. 18.* aliquid mutavit, præter Regium, etiam Ordinum civitatis conſenſum, ad claudendam & aperiendam navigationem exigens: quorum tamen conſenſu, jam ante hanc Regiam ordinationem, opus fuerat, quando commercia inhibenda & rurſus permittenda eſſent, ſecus inter Ordines contentiones oriebantur.

§. XII.

Bona naufraga & caduca.

Et quia, quod ad naufragorum Qq) & quæ illis cognata ſunt, caducorum rationem attinet, D. Sigismundi etiam privilegium civitati collatum exhibuit Rr), quemadmodum in eo conceſſum reperimus, ita Nos quoque, præſentibus benigne conſentimus, ut ſi quæ res ſive merces, ex quocunque naufragio ad univerſum ejus civitatis littus pervenerint, quas diſpoſitioni Noſtræ & Succeſſorum Noſtrorum reſervatas eſſe volumus & reſerva-

§. XII. ſervamus, illæ ipſæ res, in fideli cuſtodia Burggrabii & totius Magiſtratus Gedanenſis conſerventur tam diu, quoad dominus aut hæres earundem rerum aut mercium, ex naufragio provenientium, comparuerit, & illas jure repetiverit. Et dum cognoſcetur, quod hujusmodi merces in ſuo valore durare nequeant, habebit Burggrabius Noſter Gedanenſis cum ipſo Magiſtratu poteſtatem, eas vendere, & pecuniam inde provenientem aſſervare. Caſu vero, quo tractu convenienti temporis, nemo compareret, qui hujusmodi jus ſuum & res ſuas ad ſe pertinere poſſit docere, ex tunc ipſe Burggrabius Gedanenſis, ſimul cum Magiſtratu ibidem, Nos de iisdem rebus informare & certiores reddere tenebitur, ut Nos & Succeſſores Noſtri de illis diſponere valeamus. Idem per omnia obſervari debet in bonis caducis, ſine legitimis hæredibus poſt obitum relictis Ss).

Qq) De bonis naufragis, Caſimirus in privilegio incorporationis Pruſſiæ pollicetur: „Se ea nunquam, vel ut ſua aut juris „ſui, petiturum aut requiſiturum, ſed illa abſque diminutione per „eos, quorum ante naufragium fuiſſent, aut eorum propinquio„res, demonſtratione evidenti propinquitatem probaturos, colli„genda & in uſus beneplacitos convertenda decernit, contrariæ „conſuetudini aut juri, vel potius corruptelæ, pro Se & Succeſſo„ribus ſuis renuntiando, niſi forte nullus bonorum hujusmodi „extaret juſtus hæres & ſucceſſor, in quo caſu bona illa ſuæ vult „poteſtati ſubjacere„. Hoc ſuum jus in bona & merces naufragas

gas Caſimirus in privilegio Gedanenſium præcipuo (Haupt-Privilegium) firmavit, ad privilegium incorporationis provocans. §. XII.

Rr) Privilegium hoc Gedanenſibus a Sigismundo I. a. 1526 datum, inſeruit *Curickius hiſtor. Gedan. p. 158. & ſeqv.* in quo iisdem verbis leguntur, quæ Stephanus, de bonis naufragis a Burggrabio & Magiſtratu cuſtodiendis, de poteſtate vendendi, ne corrumpantur, & aſſervanda ex venditis pecunia, in *Tractatibus* repetit. Quod tamen poſtea ita mutatum, ut bona naufraga, non ad Burggrabii totiusque Magiſtratus cuſtodiam pertineant, ſed ad illorum ex Magiſtratu, qui oræ maritimæ, ad quam naufragium factum, ac bona ejiciuntur, præſunt, quod cum fiat, aut ad Neringenſe aut Helenſe littus, Præconſules, qui Neringam aut Helam adminiſtrant, bonorum illorum curam agunt, donec dominus, aut cui id a domino mandatum, recipiat. Nunquam enim bona ſuo domino deſtituuntur, ut tanquam nullius, poſt aliquod tempus, a Rege vindicari queant. Pro opera ad ſervanda bona, eorumque cuſtodia, tertia pars pretii, quo æſtimabantur, olim ſolvi ſolebat, quod Ordinum decreto a. 1748 mutatum, ut pro opera, non certa merces, ſed aliquid ex æquo & bono ſolvendum ſit, ſumtibus tamen, ſi qui facti, ſeorſum computatis: Et Regis Auguſti III. *Ordinatio art. 21.* Magiſtratui & præcipue Adminiſtratoribus Neringæ, interdicit: „participare de bonis naufragorum, & „poteſtatem illa colligendi reſervat proprietariis, absque alia di„minutione, quam qualem pro adhibitis operis admiſerint„.

Ss) Hoc pariter ex citato privilegio Sigismundi I. repetitum, addiderat tamen Sigismundus „devolui hæc bona ad Regem, „ex ſuperioritate ſua, quodque eadem, ut bona naufraga, fidei & „curæ Burggrabii & totius Magiſtratus Gedanenſis committat, & „diſpoſitioni ſuæ & Succeſſorum ſuorum reſervari velit„. Hinc Regi omnia bona obveniebant, quando defunctus, cui nulli legitimi hæredes, inteſtatus moriebatur, ſi facto teſtamento, ea, quæ præſtitis legatis, ſupererant, ſalva tamen legitima, ſeu quarta bonorum parte, quam minuere teſtatori non licebat, ſecus ex legatis

§. XII. gatis supplebatur. Manebant bona in custodia Burggrabii & totius Magistratus, Burggrabio claves & bonorum indicem, seu inventarium, a scriba ejus compositum, asservante, quæ post annum & diem, quod spatium legitimis, si qui essent, hæredibus, ad probandam suam cognationem dabatur, ei tradebantur, cui Rex recipere mandaverat, donec regnante Sigismundo Augusto, Regius *Fiscalis* Gedani institueretur, qui & bona caduca a Magistratu recipiebat, & ne ultra legitimum tempus custodirentur, attendebat. De hoc *Fiscali* questi a. 1576. civitatis Ordines, „quod, „cum cura bonorum naufragorum & caducorum Burggrabio & „Senatui demandata sit, nihilominus superioribus annis *Fiscalis* „se ingesserit, qui jam prætextu caducorum, etiam ecclesiasticis „bonis manum admovere conaretur, idque eo molestius ferri, „quod, cum *Fiscalis* nec civis sit, nec onera civilia præstet, civi„libus tamen commerciis utatur, fruatur„. Sequenti anno, de Fiscali querela iterata est: „eum contra privilegium & antiquissi„mam consuetudinem, bona caduca in judicio civili vindicare, „cum tamen ex privilegio sequatur, bonorum caducorum vindi„cationem & custodiam, non ad procuratorem fisci, cujus offi„cium nuper admodum, in has terras, novo exemplo introductum „sit, sed ad Burggrabium & Magistratum hujus civitatis specta„re„, in quo etiam eos conservari Ordines petebant. Respondebat Stephanus: „Se curaturum, ne *Fiscalis* metas officii sui ex„cedat, & Se daturum *Fiscalem*, virum bonum & possessionatum„: quamvis Ordinum mens fuisset, ut Fiscalis nullam sibi potestatem in bona caduca arrogaret, sed civitas in usu privilegii & veteri consuetudine relinqueretur. *Decl. Ord. plag. Bb. p. 4. pl. Ll. p. 7. 8. pl. Oo. p. 4.* Vladislaus IV. a. 1647. mutuatus a civitate, in annum unum, florenorum triginta millia, si ea anno illo non redderet, bonorum caducorum plenam administrationem Magistratui conferebat, donec, persolutis antea ex illis bonis, Petro Minocio, florenorum triginta sex millibus, civitas mutuam datam summam redegisset, *Fiscali* suo ejusque substituto, omnem caducorum administrationem intra hoc tempus interdicens. *J. E. de Linda sicil. in Zalusc. p. 18. & seq.* Neque Minocius neque civitas

civitas suam pecuniam receperat, cum jus Regium in bona caduca finiret, Joanne Casimiro a. 1660. „bona illa in civitate legiti„me incidentia, Præconsulibus & Consulibus, non in administra„tionem duntaxat, sed in fruitionem absolutam ac plenariam, ve„ramque proprietatem, quæ usui totius communitatis serviat, „concedente & assignante, & quod in tali administratione atque „fruitione, neque a fisco Regio, neque a quovis alio, ulla ratione „aut modo turbari aut inquietari debeant„ in verbo Regio, tam pro Se, quam pro Serenissimis Successoribus suis promittente & spondente: „ut tamen Petro Minocio ejusque hæredibus, quicquid ex „summa ipsi debita restare posset, successive extraderetur„. Rex etiam Sibi & Successoribus Suis reservabat bona eorum, qui de crimine læsæ Majestatis in Regem & Regnum Poloniæ commisso, vere ac legitime fuerint convicti, vel si quæ aliæ summæ juri caduco, ex causa sterilitatis obnoxiæ, quinquaginta millia florenorum excederent. Addebat denique Joannes Casimirus, eorum bona pro caducis habenda esse, quæ legitimis Successoribus ad octavum usque gradum computationis civilis carerent, & si quis circa caduci executionem se gravatum sentiret, ut ei liberum esset, coram judicio ordinario civili jure experiri, salvis ad judicium Consulare & porro ad judicia Regia appellationibus. *De Linda Poloniarum Respubl. civit. Gedan. æquior p. 34. & seq.* Si quæstio moveretur, an Joanni Casimiro jure hoc cedere licuerit, affirmando respondendum esset, cum eadem potestate Joannes Casimirus civitati reditus ex bonis caducis donare potuerit, qua Sigismundus I. Sibi & Successoribus vindicaverat. Neque pertinebant reditus illi, ad bona mensæ Regiæ, seu oeconomica, qui a Regibus minui nequeunt, quare etiam in numero horum bonorum non leguntur, sed erant quasi privati Regum reditus, de quibus quæ vellent, decernere liceret. Erant etiam donationis causæ justæ: „intemeratæ constantiæ & fidelissimæ subjectionis multa „egregia documenta, vera solidaque virtute fracti hostes, in pietatis, „fidei ac fortitudinis inviolabilis atque inconcussæ exemplum, fortu„næ publicæ & privatæ retundendis hostilibus insultibus & diverten„dis conatibus fortiter & alacriter impensæ„: quæ in Regio diplomate §. XII.

§. XII. mate memorantur. Ubi simul Rex ad exempla priorum temporum provocat, quibus bona caduca, aliis quibusdam intra Regnum civitatibus, ad reficiendos muros indulta fuerint. Hæc Joannis Casimiri donatio a Rege Michaele peculiari diplomate a. 1669. repetita & confirmata, idemque a Joanne III. a. 1678 factum est. Post quos in generali jurium confirmatione etiam jus caducorum confirmari placuit. Translato hoc jure ad civitatem, pro Burggrabio & toto Magistratu, custodia bonorum caducorum soli Senatus Præsidi mandata est, a quo pecunia ex bonis illis, post annum & diem, nullo legitimo hærede interveniente, in civitatis ærarium infertur. Præsidi *Ordinatio Augusti III. art. 52.* jungit aliquot ex tertio ordine „ne tamen ideo peculiaris functio instituatur, sed ut hoc negotium alicui ex jam institutis functionibus „mandetur„. Addit explicationem *decretum assessoriale* a. 1752: „ut num bona vere caduca sint, solus Præses cognoscat, qui si caduca esse declaraverit, cameræ functio ea occupet, & de iis disponat„. Sed occupat & administrat, ut antea, illa bona solus Præses, qui pecuniam ex iis, ante finem præsidii sui, una cum rationibus *functioni cameræ* exhibet.

§. XIII.

Ne nova vectigalia civibus Gedanensibus imponantur.

Ne item nova ulla vectigalia vel exactiones, per Nos vel Successores Nostros, nec terra nec aqua in flumine Vistulæ, civitatis ejus civibus imponantur, temporibus quibuslibet futuris, quemadmodum jam antea præfato Casimiriano privilegio ea de re cautum est Tt), præsentibus hisce ordinamus cavemusque.

Tt) Ne

Tt) Ne portorii auctio, Gedanensium immunitati a vectigalibus officeret, & ad nova vectigalia viam quasi muniret, orabant Ordines: „Ne auctionis hujus occasione, alia nova vectiga- „lia vel exactiones, civibus aut exteris imponerentur, aut intra „aut extra urbem, vel in mari, vel in flumine, vel in portu, pri- „vilegiis utique civitatis omni ex parte salvis & illibatis„. Qui cum crederent, se Regio responso, quo Rex non abnuebat, ut occasione auctionis portorii nulla nova telonia, civibus aut exteris in civitate imponerentur; neque altero, quo Rex civitatis *territorium* addebat, acquiescere non posse, „apertius sibi caveri, ac se in pri- „vilegio D. Casimiri conservari petebant, in quo diserte dispone- „retur, ne ulla nova vectigalia nec exactiones, sive terra sive aqua „in fluvio Vistulæ, Gedanensibus imponi deberent, temporibus qui- „buslibet futuris. Parum enim esse, Civitatis saltem territorium „excipi, & alicubi ante ipsas ferme portas, nova vectigalia, in „civitatis maximum præjudicium ac damnum constitui, cum ge- „nerali Terrarum Prussiæ privilegio, omnia ubique vectigalia iis „in terris excludantur„. Ex duobus allegatis privilegiis, prius est privilegium Gedanensium præcipuum (Haupt-Privilegium) jam supra §. XI. citatum, circa cujus finem leguntur verba: Auch so wollen Wir die genümpten unseren, Lieben Getreuen mit solcher Gnade und Gunst belohnen, und in Kraft dieses Briefes vorleyhen und geben, daß kein neue Zoll oder Beschwerunge auf der Weissel, noch uf dem Lande, in allen zukommenden Zeiten gemacht, und uf sie geleget soll werden, als der Hauptbrief und die Handveste zu Crakaw, Landen und Städten unser Lande Preussen verleyhen und gegeben, innehält und ußdrückt. *Curicke hist. Gedan. p. 155. 156.* Posterius privilegium, est idem, quod in privilegio Gedanensium generali vocatur Handveste zu Crakaw verliehen, neque aliud quam quod *privilegium incorporationis* alias appellatur, quodque omnia vectigalia in Prussia, ut notum est, perpetuis temporibus interdicit. Vectigal enim a. 1567, Vladislavia ex Polonia, in Prussiam Graudentum translatum, & alia ad album montem a. 1578, in ponte Mariæburgensi & in vico Lubeschau inter Dirsaviam & Gedanum 1581, tum alibi instituta & exacta, quamvis urgentibus Prussiæ Ordini-

 Ordini-

§. XIII. Ordinibus sublata, ut *Hist. Pruss. II. 336, 362. III. 281, 470. 376, 419. 381, 396. 412, 419.* memorat, incitabant Gedanenses, ut in *Tractatibus Portorii*, futura vectigalia exactionesque omnes a suis civibus averterent, quod Rex ita probabat, ut, ne Gedanensibus nova vectigalia vel exactiones, temporibus quibuslibet futuris, vel terra vel aqua in flumine Vistulæ imponerentur, ordinaret & caveret, quemadmodum in privilegio Casimiriano cautum esset.

§. XIV.

Gedanensibus auxilium promittitur, si ob auctum portorium lis moveretur.

Tandem etiam, si forte contingat, ut auctionis hujus occasione, quispiam civitati negotium faceret, muneri Nostro Regio, quod in defendendis indemnibusque præstandis subditis Nostris versari intelligimus, minime Nos Successoresve Nostros defuturos promittimus U u).

U u) Antequam in auctionem portorii consentirent Ordines, exponebant Regi: „habere civitatem pro se & conjunctim cum Prussiæ civitatibus, in exteris Regnis, provinciis & civitatibus, certas libertates, immunitates & privilegia, in vectigalibus, teloneis & impositionibus, quo commodius & facilius commercia tractentur & navigationis usus conservetur: Ex his commerciis civitatem crevisse, & iisdem etiam nunc utcunque consistere. Has vero immunitates & privilegia, certis pactis circumscripta esse, nimirum ut in hac civitate & in Prussiæ terris, illorum Regum, Principum & civitatum subditi, nullo novo exactionis genere onerentur. Cum his majorum & progenitorum privilegiis, civitatem ad Regnum accessisse, eaque Serenissimos Reges non minus ac illa, quæ ipsorum liberalitate indulta essent, sancte semper observasse, ut alibi nimirum subditi liberiori fortuna uterentur. Ante paucos etiam annos, in Daniæ Regno pro liberatione navium & mercium, pactum istud denuo renovatum & publicis litteris consignatum esse. Jam si portorium vel uno amplius nummo augeatur, neminem non intelligere, præberi causam exteris, ut & privilegia ac immunitates Gedanensium rescindant, & eos multo majoribus quam antea exactionibus onerent, unde necessum esse, & commerciis eos omnibus excludi, & civitatem non diu post plane pessum ire. Solere etiam Regis opem & intercessionem implorari, quoties subditi alibi, contra libertates & morem usitatum graventur. Quod si Gedani auctione portorii qualibet, contra morem antiquitus receptum, exteri onerabuntur, eo ipso opem & intercessionem Regis ad exteros Principes implorandi viam interclusum iri. Nec enim ab illis jure exigi posse, quod illis vicissim non præstetur. Deinde eam esse ferme mercatorum conditionem, ut libertates commerciorum sectentur, onera quantum possint defugiant„. Cum vero Rex ab auctione portorii nullo modo averti posset, petebant Ipsum Ordines, ut si occasione hujus auctionis vel prætextu, quispiam cujuscunque conditionis, civitati molestiam exhibuerit, vel damnum dederit, Rex pro officio suo Regio subditos suos, ut æquum esset, defenderet, & ab aliorum injuriis indemnes præstaret. Rex, qui arbitrabatur: „neminem aut tam iniquum aut tam curiosum fore, qui vel tam justum necessariumque, nec novi exempli institutum improbaturus, aut quid in aliena Republica fiat ad se pertinere existimaturus sit, si quis tamen exstiterit, muneri suo, quod in defendendis subditis suis versari intelligeret, Se non defuturum promittebat„. Quod cum civitatis menti consentaneum esset, Rex in Tractatibus recipiebat, Se & Successores Suos, Gedanenses & indemnes præstituros & defensuros esse. Neutrum tamen a Regibus fieri potest, cum classibus destituantur, quibus opus, si a transmarinis Nationibus Gedanenses tuendi essent: a quibus non aliud damnum metuendum erat, quam ne

§. XV. ne aucto portorio, etiam vectigalia in naves & merces Gedanensium augerentur, quod illis eodem jure licebat, quo Stephanus, consensu civitatis accedente, portorium augeri posse crediderat: & cum aucto portorio, Gedanensibus nova exactio, titulo *Lastgeld* in Dania imponeretur, cujus nota D d) ad §. VI. mentio facta, ferendum erat novum onus, neque ut eo liberaretur civitas, a Regibus aliquid tentatum legimus.

§. XV.

Ea, quæ civitatem gravarent, tollenda esse.

Deinde, quia nonnulla a civitate proposita fuerunt, quibus cum gravari se existimaret, ut ea auctoritate Nostra, vel aboleremus, vel ad æquitatis aliquam rationem reduceremus, humillime supplicaverat X x), ea Consiliariorum Nostrorum consilio & sententia adhibita, hoc omnino modo atque ratione definienda existimavimus, quemadmodum & præsentibus definimus ordinamusque.

X x) Finita priore Tractatuum parte, quæ agit de portorio, sequitur posterior, civitatis *gravamina* & Regis ad ea declarationem continens. Orta illa Sigismundo Augusto regnante, quæ tolli in placationis formula petebantur, & a civitatis internuntiis a. 1570 Regi exhibebantur; Cujus nomine respondebatur: „Cum scripto porrecta gravamina talia sint, quæ partim ad declarandam gratiam Majestatis Regiæ, partim ad judicialia decreta „Majestatis Ejus spectent, in iis suo tempore, civitati Majestatem „Regiam sententiam & animum suum declaraturam, nilque fa„cturam esse, quod vel juri, vel causæ alicujus præjudicium afferre possit. Nihil enim magis cordi esse Majestati Regiæ, quam ut

„ut juste subditis imperet, eorum utilitates promoveat, grava- §. XV. „mina tollat„. *De jure provinciali Pruss. plag. R. p. 6.* Sed Rex moriebatur, antequam publicis vulneribus medelam adhibuisset, quare in responso ad legationem Regis Stephani a. 1576. Ordines querebantur: „præter publica Prussiæ, privata civitatis gravamina longe maxima, superioribus annis in tantum excrevisse, „ut nullus sit alius, vel Regni Poloniæ vel Prussiæ Status, qui ju„stiores habeat causas, ea de re gravissime conquerendi: eoque „magis, quod isthæc gravamina non solum ad frequentissimas „Ordinum preces, ne minimo quidem ad meliorem conditio„nem redacta, sed etiam insuper de die in diem, quo diutius eo „gravius, accumulata fuerint„. *Declar. Ordin. plag. K. p. 2.* Sequenti anno, Regi horum gravaminum index, ut tollerentur, exhibebatur, *Decl. Ord. pl. Ff* & cum civitas in tractationem de portorio ingredi decrevisset, cæteris conditionibus hanc addebant: „ut gravamina jam antea per civitatis Internuntios proposita, & „si quæ interim irrepserint, re ipsa & de facto abrogarentur, & „in primis delineatio quædam proponeretur, quinam modus fu„turus esset, ea gravamina, pro ipsorum conditione vel abolen„di vel moderandi„. Denique Rex in Tractatuum præfatione, inter conditiones, quibus in portorii auctionem Ordines consenserint, primo loco ponit „ut gravamina nominatim proposita tollantur „& aboleantur„.

§. XVI.

Commissio Karnkowiana, ejus constitutiones, formula placationis & libelli famosi Fridwaldi abolentur. Jus vero Regium mittendi Commissarios, certis limitibus circumscribitur.

Et primo quidem, quod ad Commissionis Y y) a D. Sigismundo Augusto eam in civitatem missæ Z z)

§. XVI. ſæ Zz) negotia attinet, etſi ſciamus, graviſſimis de cauſis A3) D. Deceſſorem Noſtrum adductum, Commiſſarios ſuos B3) in eam civitatem deſignasſe, quia tamen magna temporum perturbatio C3), varietasque conſecuta fuit, eaque quæ Commiſſionis ejus auctoritate ſancita promulgataque fuerant, nunquam adhuc ad effectum deducta ſunt D3), placationis etiam formulam E3) D. Deceſſori Noſtro civitas ita obtulerit, ut a Commiſſione illa ejusque omnibus gravaminibus benigniſſime liberari petiverit, eaque placatio a D. Deceſſore Noſtro, Sigismundo Auguſto, ita accepta fuerit, Nos tota iſthac cauſa diligenter examinata & perpenſa, volumus ne quid in poſterum de ea quæſtionis vel controverſiæ relinquatur, ſed ut civitas in jure & ſtatu ſuo, quo antea fuerat, deinceps etiam permaneat, nec vel iſtarum actionum & conſtitutionum commiſſorialium prætextu, quicquam de ſtatu civitatis immutetur, ac proinde pro Nobis & Succeſſoribus noſtris civitatem Noſtram Gedanenſem, & omnes ejus Ordines ac cives, realiter & effectualiter ab iſthac tota Commiſſione & omnibus ejus attinentiis ac gravaminibus clementiſſime relevamus & liberamus F3), conſtituentes ac decernentes auctoritate Noſtra Regia, ne quid illorum, quæ in civitatis præjudicium, contumeliam ac

ac damnum G3) acta, geſta, conſtituta ſunt, §. XVI. quorum etiam numero famoſos libellos Fridewaldi H3) & quorumvis aliorum, comprehendimus & caſſamus, ullo unquam tempore, nec Magiſtratus, nec civium honori, exiſtimationi & fidei, civitatis item juribus, privilegiis, libertatibus & probatis conſuetudinibus, quoquo modo obeſſe, nocere, derogare vel præjudicare poſſit vel debeat I3): Ita tamen, ut & pertinere interim ad Nos agnoſcamus, quoties publicæ utilitatis, aut ipſius civitatis ratio id poſtulaverit, Commiſſarios Noſtros ad civitatem mittendi arbitrium, neque in hoc jure, quod legitimum & indubitatum Divi Deceſſores Noſtri habuerunt, quoque jam inde ab initio uſi ſunt, Noſtræ Succeſſorumve Noſtrorum auctoritati, ulla re derogatum velimus L3). Commiſſarii autem, ſi quos forte Nos Succeſſoresve Noſtri mittendos exiſtimaverint, ea cum poteſtate mittentur, ut ſecundum juris communis permiſſionem, a delegatis ad Principem referendi jus poteſtatemque gravari ſe exiſtimantibus concedant, iique ad Nos appellare poſſint M3), Quem poſt Deum immortalem, unicum in terris Dominum agnoſcunt N3).

Yy). Eſt hæc memorabilis illa Commiſſio Karnkoviana, a Stanislao Karnkovio, Cujavienſi Epiſcopo, qui Commiſſionis caput erat, hoc cognomine appellata, cujus acta, *Caſp. Schützius de Com-*

§. XVI. *Commissione*, & *Curicke in historia civitatis Gedanensis p. 257. & seq.* descripserunt, ac in *Hist. Pruss. II. 367, 368, 398, 399.* memorantur. Hanc Commissionem, Ordines in Responso ad legationem Stephani a. 1576, infelicem vocant, „quæ cum summa civitatis „infamia, publicæ fidei noxa & fortunarum detrimento, præteri- „tis annis usurpata fuerit, qua civitas, non solum, concitatis tri- „bubus & contuberniis, extremum pene discrimen, ex magi- „stratu nonnulli, citra culpam, existimationis, honoris, bonorum „ac vitæ periculum adierint, verum etiam publicæ libertates, ju- „ra, privilegia, proventus, bona terrestria adeo impugnata, im- „minuta & labefactata sint, ut hoc pacto nihil pene, quod ad „universæ civitatis perniciem agi potuisset, prætermissum videre- „tur. Atque in iisdem actionibus, eosdem & accusatores & ju- „dices sedisse, vix usquam gentium, ubi legibus vivatur, com- „probatum esse„. *Decl. Ord. pl. K. p. 2.* Merito igitur Commissio illa inter *gravamina* primo loco ponitur.

Zz) Missa Commissio 1568, sed intra urbem non recepta, proximo anno rediens, prima Decembris civitatem ingrediebatur & sequenti anno abibat.

A3) Delatus enim Senatus, male & in civium perniciem regimen exercere; sibi invisos judiciis vexare & opprimere; publicos reditus in privatos usus intercipere; omnia paucorum arbitrio fieri; contuberniorum, aliorumque collegiorum privilegia violari. Quibus tamen Stephanus fidem non adhibuisse videtur, tota illa Commissione abrogata, & quæ adversus eam ab omnibus Ordinibus acta, satis probant, Senatum falso incusatum esse.

B3) Fuerant cum nominato antea Episcopo Cujaviensi Karnkovio, Jo. Sierakowski, Palat. Lanciciensis, Jo. Kostka Gedanensis, Nic. Firley Wisliceensis, & Stan. Wysoczki Biechoviensis Castellani, omnes non indigenæ ac jurium Gedanensium ignari, præter unum Kostkam, qui Prussus, sed apertus civitatis hostis erat. His additi Secretarii & Juris Doctores, Casparus Geschkau

kau Abbas Olivensis, Petr. Roysius Maureus Hispanus, Archypresbyter Vilnensis & Laur. Gosliczki Canon. Vladislaviensis, inter quos, Abbas Olivensis inimico in Gedanenses animo erat, quique braseatores & laniones, in Senatum concitaverat, contumacibus quibuscunque, consiliis & opera obvius & promtus, ut intestinas dissensiones aleret. Publici accusatoris, Instigatorem vocant, partes, Fridewaldus susceperat, quem ut hominem nequissimum, loquacem & impudentissimum, illorum temporum monumenta memorant. §. XVI.

C3) Commissio enim præcipua turbarum causa exstitit, cum civitas detrectaret, Regi Stephano se submittere, nisi Commissione ac iis, quæ a Commissione acta, abrogatis, Rex vero totum hoc negotium ad comitia rejiceret. Tum civitas pro juribus suis, obsidionem & alia quæ bello fieri solent, fortiter sustinuit.

D3) Intelliguntur constitutiones, quibus ut toti Commissioni, a Karnkovio nomen, quasque ipse Karnkovius, in *jure suo provinciali Terrarum Pruss. pl. J. Q.* primus edidit. Hunc *Januszovius* in suis statutis p. 948. & seq. & nostra ætate Reverendi Patres piarum scholarum Varsavienses secuti, qui in nova Constitutionum editione, T. II. *p. 590.* & sequ. Karnkovianas constitutiones recudi curarunt, cum inter Constitutiones Regni locum adhuc non habuissent. Scriptæ hæ constitutiones a Commissariis contra datam fidem, qui accepta placationis formula, promiserant, se precibus suis, ut abrogentur gravamina, Regis animum flexuros, quæ jam ipsi suis constitutionibus augebant admodum, cum illæ civitatis juribus, privilegiis & consuetudinibus multum adversarentur, neque salvo privilegio Casimiriano *de legibus & pecuniis subsidiariis*, admitti possent. Quare Commissarios Ordines civitatis rogabant, ne suas constitutiones promulgarent, quod cum abnuerent, exhibita, ut loquimur, protestatione, Ordines modo sollemni contradicebant, quo facto, constitutiones a Commissariis publicabantur. Missi deinde ad Regem civitatis internuntii

§. XVI. nuntii, fruſtra adverſus conſtitutiones laborarunt, hoc relato re-
ſponſo: „Sacram Regiam Majeſtatem, conſtitutiones a Commiſſa-
„riis latas & promulgatas, in eoque conventu Regni aliquantulum,
„ne quod civitatis juribus & privilegiis præjudicium adferre poſ-
„ſent, correctas, quod videat civitati Gedanenſi fore valde utiles
„& neceſſarias, ex Senatus conſilio omniumque Ordinum Regni
„conſenſu, cum earum omnibus clauſulis & punctis confirmare,
„approbare, roborare, perpetuoque firmitatis robore donare, ac
„eas ab omnibus civibus Gedanenſibus ſervari, probari, tenerique
„mandare & præcipere„. *Karnk. Jur. provinc. plag. Q. p. 7.* Hæc
publice internuntiis Regis nomine dicta, quibus Rex privatim
promittebat: „Se conſtitutiones illas correcturum, ſi civitas pri-
„vilegiis ſuis demonſtraverit, eas juribus ſuis adverſari„. *Hiſt.
Pruſſ. II. 403.* Poſt internuntiorum reditum, veniebant die 30 Se-
ptembris ejusdem anni 1570 Gedanum Regii Commiſſarii, Pala-
tinus Breſtenſis Jo. Szluzevius, Caſtellanus Gedanenſis Jo. Koſt-
ka, & Abbas Olivenſis Caſp. Geſchkau, ad efficiendum, ut no-
væ conſtitutiones, legum inſtar ab omnibus colerentur, ac civita-
tis regimen ad earum normam ordinaretur. Cum autem civitas
negaret, poſſe conſtitutiones ſalvis antiquis juribus, legum au-
ctoritatem obtinere, regimenque aliter ordinari, niſi præſenti ſub-
lato, Commiſſarii poſt aliquot menſium moram, ſequenti anno,
infecto cujus cauſa miſſi fuerant negotio, abibant. *Hiſt. Pruſſ. II.
404.* Neque poſtea ulla conſtitutionum habita fuit ratio, ut re-
cte Stephanus dixerit: „ea quæ commiſſionis ejus auctoritate ſan-
„cita promulgataque fuerint, nunquam adhuc ad effectum dedu-
„cta eſſe„.

E 3) De placationis formula, nota X) ad §. III. actum, in
quo ipſo §. formula illa plane abolita eſt.

F 3) Commiſſionis & conſtitutionum Karnkovianarum,
quæ ad attinentias & gravamina commiſſionis merito referuntur,
abolitionem, Gedanenſes a Sigiſmundo Auguſto impetrare non
potuerant, licet in placationis formula, augendi portorii dimi-
dium

dium & centum florenorum millia obtuliſſent. Redibant ad eas- §. XVI.
dem preces, antequam in verba Stephani jurarent; qui cum to-
tum illud negotium ad comitia rejiceret, reſpondebant civitatis
Ordines, & primum de commiſſione: „Si Majeſtas Regia clemen-
„tius totius illius cauſæ ſtatum & ſeriem perpendere dignata fue-
„rit, nihil Ordines dubitare, quin Ipſamet pro ſingulari Sua æqua-
„nimitate adſtipulatura ſit, nulla ad comitia Regni rejectione
„opus eſſe. Quorſum enim attineret, jura, privilegia, liberta-
„tes & conſuetudines, ſupra hominum memoriam, ſine aliqua
„interpellatione habuiſſe, ſi, quoties hominibus, eam fortunam
„atque felicitatem civitati invidentibus, viſum, ſimul etiam fas
„ſit, ea omnia infringere, immutare & ſtatum civitatis omnino
„evertere, ac poſtea comitiorum decreta, quorum promulgatio-
„ni nunquam interfueris, contra quæ ſolenniter ſemper poteſtatus
„ſis, obtendere, atque ita ea quæ majorum fortunis ac ſanguine
„parta ſint, eripere, ut nulla unquam recuperandi ſpes reliqua
„eſſe videri poſſit, adque eorum confirmationem Principem, re-
„rum illarum omnium ignarum, totius provinciæ malo impelle-
„re. Hæc ut Sereniſſima Regia *Majeſtas* Secum reputaret, ab
„initio ſumma animorum ſubmiſſione Ordines rogaſſe, verum
„cum ab omni tractatione & colloquio excluſi fuerint, nihil am-
„plius proficere potuiſſe, quam quod ad eosdem judices, a qui-
„bus ſemel appellaſſent, coram quibus ſolenniter proteſtati eſſent,
„rejecti iterum fuerint. Quod vero cum juris ratio non ferat, ſe
„Majeſtatem etiam Regiam obſecrare & obteſtari, ut tandem cle-
„mentiſſimam *ſui rationem habere*, & commiſſionis illud nego-
„tium, in quo multa contra publicas libertates, privilegia & re-
„ceptas conſuetudines facta ſint, benigniſſime ex auguſtiſſimæ
„poteſtatis plenitudine abrogare dignaretur, præſertim cum ipſi
„Domini Commiſſarii, Ordinibus Civitatis, ut eos tum exclude-
„rent, anſam multis nominibus præbuerint„. De conſtitutioni-
bus deinde ſic mentem ſuam explicant Ordines: „Dominorum
„Commiſſariorum conſtitutiones, ſe reclamantibus & legitime pro-
„teſtantibus editas, propterea recipere ſe non poſſe, quod non
„ſolum adverſus morem civitatis in maximum præjudicium ju-

§. XVI. „rium, privilegiorum, jurisdictionis, libertatum ac consuetudinum publicarum, non accedente consensu illorum, quorum intererat, Magistratus & communitatis, fuissent promulgatæ, verum etiam, quod in iis publica civitatis fides, cum summa Magistratus & Ordinum ignominia non obscure notetur & traducatur, quo nihil, propter fidelissime sæpe præstita, & in posterum præstanda merita, accidere potuerit vel indignius, vel ad posterorum memoriam acerbius: tantum abesse, ut istæ constitutiones ad retinendam vel stabiliendam civitatis incolumitatem, concordiam & tranquillitatem aliquid roboris adferre possint. ---- Idcirco iterum ac iterum supplicabant, „dignaretur Serenissima „Regia Majestas, abrogatis jam plane illis constitutionibus, suæ „civitatis civium & incolarum clementissimam rationem habere, „neque permittere, ut iis juribus, privilegiis, moribus ac con„suetudinibus, cum quibus majores ad inclytum Poloniæ Regnum „sponte accesserint, contrarium quidpiam unquam statueretur, „vel ut hic articulus, qui privilegiis suis, propter condendorum „plebiscitorum & legum libertatem, plane adversetur, ad Regni „comitia absque ulla legitima causa rejiceretur„. *Declar. Ord. plag. Kk p. 4. 7.* Institutis de portorio colloquiis, Commissio, Commissionisque constitutiones, nec non placationis formula, inter prima erant, quorum abolitionem extra Regni comitia, sola Regis auctoritate, civitas urgebat, quia nolebat cum Regni Senatoribus in disceptationem ingredi, quoniam de his rebus longe aliter sentirent, quam gestæ, tractatæ conventæque essent. Rex qui civitatis precibus non adversus erat, volebat primo quoque tempore, cum solis Senatoribus de iis communicare, antequam Ipse aliquid decerneret; verum civitas instando effecit, ut Rex, ex consilio Supremi Regni Cancellarii, de commissione, ejus constitutionibus & placationis formula, ita statueret, ut in Tractatibus legitur. De quibus jam confectis, cum Rex ad Regni Senatum referret, nominatim Commissionis mentionem faciebat, scilicet, toti Regno maxime conducere, si ea, omnium quæ secutæ dissensionum fons, plane aboleretur. *Hist. Pruss. III. 454.* Jam a. 1572 de Episcopo Cujaviensi Karnkovio, Commissionis princi-

principe, coram Prussiæ Consiliariis perhibebatur testimonium, §. XVI. ipsum quidem, commissionem ex publico commodo peractam esse credidisse, nunc vero sentire aliter, & fateri suum errorem, in quem inductus esset ab aliis. *Hist. Pruss. III. 25.*

G 3) Junguntur præjudicium, contumelia, damnum ex commissione & ejus attinentiis. Faciebant enim præjudicium commissio ejusque constitutiones, juribus, privilegiis & consuetudinibus civitatis, quod ex proxime præcedenti nota intelligitur. Nec minus contumeliam attulerat commissio, cum cives in Magistratum & reliquos Ordines incitarentur, audirentur, & illis jus diceretur, ac per constitutiones in regimine multa novarentur, quasi a magistratu male administrato. Insignis & publica poterat dici contumelia, cum omnium Ordinum internuntii, comitiorum tempore a. 1570, procumbentes coram Rege in genua, supplices culpæ veniam precarentur, cujus civitas innocens erat. Ut taceatur ex famosis libellis contumelia, data calumniatoribus licentia, famam cujus vellent, sive ex optimatibus, sive civibus, lacerandi. Denique damnosa fuit commissio, quia non sine magnis civitatis sumtibus peracta, ut omnes commissiones iis, in quos dantur, sumtuosæ sunt, quare libenter suscipi solent. Neque legationes, commissionis illius causa ad Regem missæ, sine magnis sumtibus obiri poterant, qui centum florenorum millibus aucti fuissent, si Sigismundus Augustus commissionem ejusque constitutiones abolevisset. Hæc & alia mala, imo civitatis obsidio ac bellum intestinum, ex commissione provenerunt, nullo publice fructu.

H 3) Michaël Fridewaldus Elbingensis, patriæ suæ dedecus & opprobrium, imo pestis & pernicies, qui cum Senatorium honorem Elbingæ ambiens repulsam tulisset, hanc quasi injuriam ulturus, cives in Magistratum concitavit, ac ideo ex urbe exulare jussus, in aulam se recepit, ubi illis gratus, qui in Elbingenses & Gedanenses commissionem meditabantur, a quibus etiam Regi commendatus, securitatis litteras, seu salvum conductum, facile

§. XVI. facile obtinebat: quo inſtructus, Elbingam ante Commiſſarios redux, eorum adventum publice affixis litteris denuntiabat. Coram his, delectus publicus accuſator, vulgo Inſtigator, Elbingenſes, Majeſtatis, perduellionis & aliorum criminum, ſimul Gedanenſes & eorum Præconſulem illo anno Regium Burggrabium, Cleſeldum, abſentes quamvis, reos agebat. Finita Elbingæ commiſſione, Commiſſarios Gedanum, & cum intra civitatem non admitterentur, Lublinum comitabatur, ubi tempore comitiorum munia publici accuſatoris implens, priora in Elbingenſes, Gedanenſes horumque Præconſulem Cleſeldum crimina, novis etiam Gedanenſium aucta, repetebat. Decreta in Gedanenſes iterum commiſſione, cum Commiſſariis in hanc urbem veniebat, qui ſtatim ab Ordinibus rogabantur, ut Fridewaldum omnibus bonis inviſum dimitterent, nec deerant, qui minarentur, præcipitem datum iri ex feneſtra curiæ, ſi compareret. Hinc rarus in publico, ſed plerumque latitans, Commiſſariis & civibus, quibus aliena a Magiſtratu mens, conſilio & opera aderat. Antea Cracoviæ typis ediderat libellum de criminibus, quorum Elbingenſes & Gedanenſes accuſaverat, de quo in placationis formula civitatis Ordines: „Non ſolum Magiſtratum ſed omnes incolas ſummo moerore condoluiſſe, famam, nomen & omnem „exiſtimationem civitatis publicam, iſto tam immaturo & contumelioſo libello Fridewaldi, per totum Chriſtianum orbem traduci, „Ordinesque exiſtimare, id maxime ad Ipſius etiam Majeſtatis „Regiæ & totius Regni decus & dignitatem pertinere, civitatis „& civium famam & fidem ubique ſalvam & inviolatam eſſe, ideo „S. Regiæ Majeſtati quam ſubjectiſſime ſupplicare, vellet & Majeſtas Regia, ex omnimoda Regia auctoritate, per publicum decretum aliisque remediis, ad abolendum abrogandumque libellum idoneis, fidelium ſubditorum rationibus clementiſſime conſulere & ſubvenire. - - - - Tanto alacriores cunctos civitatis „incolas ad quævis humillime obeunda obſequia redditum iri, „quanto in famoſum auctorem meritæ & legibus conſtitutæ pœnæ acrius extenderentur„. *Declar. Ord. pl. Nn. p. 2.* Ad quæ Rex civitatis internuntiis a. 1570. per Regni Procancellarium reſpon-

ſpondebat: „Sacram Regiam Majeſtatem juſte ſibi faciendum putaſſe, ut civitatem rebellionis fideique nota ſuſpectam, auctoritate Sua, teſtimonioque Regali hac ſuſpicione liberaret, publiceque declararet, civitatem Gedanenſem fuiſſe ſemper & eſſe „nunc etiam Regiæ Majeſtati fideliſſimam, nihilque unquam in „Regiam Majeſtatem commiſiſſe, quod ejus honori, famæ, dignitati obeſſe, vel juſte eidem objici poſſet. Proinde librum Nobilis „Michaelis Fridewaldi, Majeſtatis Regiæ Inſtigatoris, quo publice „edito civitatis honorem & famam non ſolum traductam, ſed & „graviter læſam eſſe, civitas queratur, tolli & abrogari mandaturam, ita, ut ea omnia, quæ ab eo contra civitatem dicta ſcriptaque fuerint, famæ & honori ipſius nullo unquam tempore obeſſe poſſint vel debeant„. *Karnkov. de jure provinc. plag. R. p 5.* §. XVI. Non tamen Fridewaldi impudentia & calumniandi libido effrenata coërcebantur, prodeuntibus novis libellis, quorum vel ipſe, vel alii ejus impunitate incitati, auctores erant, Ordinibus a. 1576. ad iniquitatem illorum temporum referentibus, cum univerſæ civitatis, tum Magiſtratus & Ordinum famam, honorem & exiſtimationem, famoſis libellis clam & palam proſcindi, ac ejusmodi diffamatores in civitatis invidiam publice etiam ali, foveri & ſuſtentari: quod cum ſequenti anno Stephano exponeretur, reſpondebatur: „famoſos libellos Majeſtatem Regiam caſſare, eosque palam & clam prohibituram, delinquentes juxta ſtatuta Regni puniri mandaturam„. Quare Ordines Regi maximas gratias agebant, & demiſſiſſimis verbis rogabant, ut libellorum auctores juxta jura, conſtitutiones & Terrarum Pruſſiæ conſuetudinem Rex punire mandaret. *Decl. Ord. pl. A a. p. 7. pl. F f p. 6. plag. Rr. p. 3.* Manebat de Fridewaldo & famoſis libellis querela ad tractationem de portorio, recipiebatque Supremus Regni Cancellarius, cum Fridewaldus a ſcribendis libellus nondum ceſſaret, rem hanc ad Regem relaturum, ut iſti nebuloni, *erant Cancellarii verba*, capiſtrum injiciatur. Quo facto, declarabat Rex: „Fridewaldi obtrectationes & famoſos libellos, quibus lædi ſe civitas „queratur, ad curam ſuam Se revocaturum, mandataque, quibus, ne „hujusmodi libelli in contumeliam civitatis vel alterius cujuscunque

§. XVI. „ſpargantur, poena propoſita edi juſſurum„. Deinde petebat civitas: ut Fridewaldi ejusque libellorum in Tractatibus mentio fieret, quod indignum credebat Cancellarius, publici calumniatoris in Tractatibus meminiſſe, internuntii vero, id ideo neceſſe credebant, ut nequam ille eo fortius compeſceretur, qui non veritus, ſuperioribus diebus, in ipſorum hoſpitium novum libellum mittere. Tandem placuit, Fridewaldum Tractatibus inſerere, & non ejus tantum, ſed ſimul ab aliis compoſitorum libellorum famoſorum mentionem fieri.

I 3) Sic Stephanus Commiſſionem Karnkovianam, ejus conſtitutiones, formulam placationis, Fridewaldi aliorumque famoſos libellos plane abolet; Magiſtratus & civium honorem, exiſtimationem, fidem, civitatis jura, privilegia, libertates, conſuetudines probatas tuetur; & dum juribus probatas conſuetudines jungit, fatetur, has non minorem, quam ipſa jura habere auctoritatem, cum ſint jura non ſcripta, longo uſu & Regum conſenſu probata, qui in jurium confirmationibus ſimul conſuetudinum mentionem faciunt. Contra has pariter, a Commiſſariis multa erant acta, ac ſuis conſtitutionibus inſerta, ut cum hæ abrogarentur, ſimul integritati conſuetudinum proſpici debuerit. Quo ſuo exemplo Stephanus docuit, poſſe Succeſſorem tollere, ſi quæ a Deceſſore contra jura & conſuetudines ſancita ſint, qui etiam per confirmationem jurium obligatur.

L 3) Cum nollet Rex, civitatem ex iis, quæ olim a Commiſſariis ſancita, obligari, imo totam commiſſionem & omnia ab illa acta irrita declararet, quod ex prioribus conſtat, addebat conditionem: ne id Suo Succeſſorumque Suorum juri Commiſſarios mittendi officeret. Reſpondebat civitas: non ſuam eſſe mentem, ut in hoc juri Regio derogaretur, quod intactum mallet, ſed modo ſe optare, ut conditio illa in Tractatibus omittatur, quæ ſi tamen omnino inſeri debeat, petere, ut Commiſſariorum poteſtas circumſcribatur: in quo Rex civitatis precibus annuit, ut ſequentia docent. Quod ad jus mittendi Commiſſarios, vocat Stephanus jus Deceſſorum Suorum

rum legitimum & indubitatum, & quo Illi jam inde ab initio uſi ſint. §. XVI.
Sed non invenimus, Caſimirum, qui ex Regibus primus Pruſſiæ imperavit, in Pruſſiam, aut ad Gedanenſes ſigillatim, Commiſſarios miſiſſe, qui in publicas diſſenſiones inquirerent, eas componerent, ac novas leges ferrent, aut ſibi hoc jus ſervaſſe, cum Pruſſos ſub ſuam ditionem reciperet, qui contra in privilegio incorporationis promiſit: *Se cauſas notabiles Pruſſiæ Terras concernentes, cum communi Conſiliariorum ſpiritualium & ſecularium, nobilium & civitatum majorum conſilio terrarum prædictarum, tractaturum, terminaturum & definiturum eſſe.* Neque Joannis Alberti & Alexandri, Caſimiri Succeſſorum, Commiſſarii occurrunt, niſi quod ſub Alexandro commiſſiones decretæ, cum de poſſeſſionibus earumque finibus controverſiæ eſſent. In Statutis Sigismundi I. pro Gedanenſibus a. 1526 §. *providere volentes*, Commisſariorum fit mentio, quos Rex ejusque Succeſſores, ſi Magiſtratus communitati de male adminiſtrandis proventibus ſuſpectus, & neceſſitas id poſtulare viſa fuerit, deſignaturi eſſent, coram quibus & non aliis, Magiſtratus rationem de proventibus redderet. *Conſtit. Regni edit. nov. T. I. p. 461.* Circa finem vero eorundem Statutorum § *poſtremo*, jubentur cives, ſi habuerint de Conſulatu aut Epiſcopi Officiali querendi cauſam, coram Rege ejusque Succeſſoribus, eam mediante jure deponere & juſtitiam quærere; nulla mittendorum Commiſſariorum facta mentione. Regnante eodem Sigismundo I. querebatur Nobilitas, quod per Commiſſarios ordinaria juris via præcluderetur, & judices terreſtres decreta ferre impedirentur. Quare in conſtitutionibus Terrarum Pruſſiæ, §. *ut autem temerariæ*, Rex promiſit: „Se Commiſſarios ſeu judices „delegatos non deputaturum, in cauſis ad judicium terreſtre ſpe„ctantibus, & minus in eo jam pendentibus, niſi per appella„tionem ordinariam, a ſententia definitiva ſeu interlocatoria jam „lata, ad tribunal Regium devolutæ fuerint, exceptis cauſis limi„tum bonorum Regalium & diviſione fratrum & proximorum„. *Conſtit. R. edit. nov. T. I. p. 542.* Anno 1537 Sigismundus I. tres Regni Senatores, Commiſſarios in conventum Thorunenſem miſit, ut cum Pruſſiæ Conſiliariis diſſenſiones inter Nobilitatem & civi-

§. XVI. civitates componerent, coram quibus etiam disceptatum est. Cum autem in eodem conventu, Consiliarii citatas constitutiones Prussicas retractarent, ut a Nobilitate & Civitatibus probarentur, factum id, Commissariis non adhibitis, coram quibus, cum retractatæ jam essent, recitabantur. *Hist. Pruss. I. 183 186 188.* Sub Rege Sigismundo Augusto ægre ferebat equestris ordo, in terrestrium judiciorum injuriam commissiones decerni, & per eas, multos causa, quamvis justa esset, cadere. *Hist. Pruss. II. 42 193.* Gedanenses, adversus commissionem in se decretam, privilegia Prussiæ, per quæ ad seditiones & alias dissensiones componendas, provinciæ Consiliarii adhibendi, ac constitutiones Prussiæ, de causis propter quas Commissarii dandi essent, allegabant: & Rex, cum de non admissis a Gedanensibus Commissariis Suis ad Prussiæ Ordines referret, fatebatur, causam hanc ad causas provinciæ notabiles pertinere, de qua Consiliarios in proximis Regni comitiis consulere vellet: quibus, postquam Regi Casimiri privilegium in memoriam revocassent, non solum in hac, sed in omnibus aliis causis notabilibus, promtum suum consilium offerentibus, Rex nihilominus satius duxit, iterum Commissarios suos, inter quos unus Prussiæ Consiliarius erat, sed jurium Provinciæ contemtor & civitati infestus, ad Gedananses mittere, quam causam illam cum Consiliariis tractare & terminare. *Hist. Pruss. II. 367. 370. 374.* Interregno post Sigismundum Augustum, Consiliarii Prussiæ commissiones inter ea referebant, quæ cum juribus, privilegiis & consuetudinibus pugnarent, decernentes, ut in omnibus causis, negotiis & rebus etiam Regiis cessarent, omniaque aut ordinario Prussiæ judicio subjicerentur, aut tantum Prussiæ Consiliariis committerentur. *Hist. Pr. III. in doc. p. 17.* Stephanus, media quasi via incedere volens, neque promiscue omnes commissiones vetabat, neque omnes admitti jubebat, sed eas tantum, quas publicæ utilitatis aut ipsius civitatis ratio postulasset: ut ergo aut universi Regni, aut provinciæ Prussiæ, aut solius civitatis utilitas, commissionis causa esse deberet, non alia quæcunque, & si alia fuerit, jam civitati liceret, auctoritate tractatuum portorii, commissionem recusare. Venerunt a. 1663 & 1667 Commissarii

Geda-

Gedanum, non ob publicæ utilitatis & civitatis rationem, sed ut in quædam civitatis jura inquirerent, & adversus ea decernerent, verum ne quidem auditi, re omni infecta abierunt. Minus erat ferendum, cum Varsaviæ in consilio magno, a 1710 adversus Thorunenses & Gedanenses commissiones constituerentur, quare non tantum a civitatibus majoribus, sollemni more contradicebatur, sed etiam Prussiæ Ordines, a. 1712. Nuntiis suis ad comitia mandabant, „operam suam sedulo navare, quo commissiones illæ *cassarentur*„ & a. 1713. Regem orabant, „ne illæ commissiones, in „convulsionem privilegii incorporationis effectui darentur, quod „a Sacra Regia Majestate, tanquam supremo jurium & privilegio- „rum omnium vindice, eo facilius se impetraturos confidebant, „quo magis petitum hocce Statuum & Ordinum, juribus & privi- „legiis provinciæ cardinalibus consentaneum esset„. *Hist. Pruss. IX. 250. 266. 271. 286. Doc. p. 40. 51.* Istæ etiam commissiones non susceptæ, sed oblivioni mandatæ sunt. Adfuit a. 1760 Regius Commissarius, ad rationes ex Regia parte portorii excipiendas, cui tamen & alia, plane nova & juribus adversa mandata erant, qui id tantum peragere potuit, quod ad rationes illas pertinebat, nisi quod simul jusjurandum a portorii præfectis & scribis in Regis verba reciperet. Redibat ille sequenti anno, juribus commodisque civitatis minime consentanea peracturus, ipsasque Karnkovianas constitutiones suscitaturus, sed indulgentissimus Princeps, ad submisissimas civitatis preces, statim Commissarium revocavit, ut antequam aliquid tentaret, aulam repeteret. §. XVI.

M 3) Questi antea Gedanenses, quod a Commissariorum decretis, appellare ad Regem Sigismundum Augustum non licuerit, Stephanum oraverant, ut in posterum Commissariorum auctoritas circumscriberetur, ut initio notæ proxime præcedentis dictum. Quare ad Regem appellandi potestas concessa est, & quidem secundum juris communis permissionem, quia jure communi a judiciis inferioribus ad Regem provocare licet. De quo Constitutiones Terrarum Prussiæ §. *judicia terrestria*, & privilegium instantiarum agunt. *Vid. Jura municipalia Terr. Pruss. ac*

Constit.

§. XVI. *Constit. Regni edit. nov. T. I. p. 541. 565.* Vitio igitur laborat commissio, quando potestas provocandi ad Regem negatur, quo laborabat commissio anni 1761. cujus mentio in fine notæ proximæ facta est.

N 3) Hæc appellationis a Commissariis ad Regem ratio allegatur, quod Rex unicus in terris Gedanensium Dominus est: & re vera non alium præter Regem Poloniæ, reverentur Dominum, ex quo tempore cum cæteris Prussis sub Ejus ditionem concesserunt. Quare Casimirus Jagellonides, quo regnante id factum, in privilegio incorporationis fatetur: „Prussos per suos legatos sollicitasse, ut eorum deditionem, fidelitatem, perpetuam obedientiam suscipere, velut legitimus, justus & verus Dominus & hæres dignaretur - - - - & Se omnium incolarum terrarum Prussiæ benevolam & spontaneam deditionem, regimen, tutelam, gubernationem, subjectionem, obedientiam assumsisse & acceptasse„. Prussi contra in reciproca sua sponsione declarant, se Casimirum Regem Poloniæ, pro unico, justo & legitimo Domino & hærede, suscipere, recipere & acceptare. Inde Gedanenses in solius Regis Poloniæ nomen jurant, huic Soli fidem & obsequium promittunt, hujus Solius mandata colunt, & cætera præstant, quæ pii cives Principi debent; & Rex vicissim, eorum jura, libertates, privilegia & consuetudines servat, quas litteris suis confirmavit. Si jam parendum esset Commissariorum decretis, neque adversus ea provocare liceret ad Principem, ut ab eo medela peteretur, viderentur Gedanenses præter Regem, alios habere Dominos, ad quorum auctoritatem se componerent, subversis etiam civitatis juribus & consuetudinibus, quibus Commissarii non tenentur, ad quæ autem Rex, tum per generale suum jusjurandum, tum per peculiarem confirmationem obligari voluit.

§. XVII.

§. XVII.

§. XVII.

De Magistratuum privatorumque ad judicia Regia evocationibus.

De Magistratuum privatorumque ad tribunal Nostrum Regium evocationibus O 3), statuimus ac decernimus, in privatorum causis, ordinariam civitatis jurisdictionem, jurisque ejus progressum, rationemque usitatam, minime turbandam vel impediendam P 3). De Magistratuum autem vel negligentia, vel injuria, culpave alia si querendum quis existimaverit, in eo si temere negotium illis fecisse judicatus fuerit, volumus ut is & in impensas condemnetur, & alias etiam pœnas, quæ vel in temere litigantes, vel calumniatores statui solent, subeat, proque causæ conditione severe puniatur. Si qui etiam contumeliosis citationibus Q 3), existimationem Magistratus vel privatorum læserint, contra illos recte injuriarum agetur, & pro injuriæ atrocitate impune non erit.

O 3) Intelliguntur citationes eorum, qui ad Magistratum pertinent, scilicet Præconsulum, Consulumque, deinde civium, aliorumque qui non Magistratus seu in Senatu sunt, ad judicia Regia aulica, tum assessorialia tum relationum, quæ per Regium tribunal intelligenda, neque cum Regni tribunali confundenda sunt. De ejusmodi citationibus, nempe omissis instantiis *inferioribus*, frequentes fuerant querelæ Sigismundo Augusto regnante, non

solum

§. XVII. solum Gedanensium, sed pariter aliarum civitatum & ipsius Nobilitatis, Rege a. 1556. affirmante: Se insolitas illas ad judicia aulica citationes neque induxisse, neque ut inducerentur, voluisse; nihil magis Se optare, quam ut nemo ejusmodi citationibus occasionem daret, & qui daret, coram suo ordinario judice accusaretur; ipsi ergo Prussiæ Consiliarii invenirent modum, quo inducta nuper consuetudo inhiberetur, quem Rex, si justitiæ & dignitati suæ conveniret, libenter probaturus esset. Sed redibant ad suam de his citationibus querelam a. 1559 Nobilitas & civitates minores, quam Consiliarii eum in finem ad Regem deferebant, ne ejusmodi citationes impune permitterentur. Quatuor citationibus a quibusdam Nobilibus Polonis, Præconsul Gedanensis Georgius Klefeldus, ut Burggrabius Regius, ad proxima comitia a. 1561 evocatus, Consiliariorum opem implorabat, qui Regem orabant, ut Klefeldus in conventu Prussico, ubi forum competens, accusaretur, & ut in posterum Magistratus non alibi quam in conventu, rei agerentur, salva ad judicia Regia aulica appellatione. Sequenti anno Consiliarii decernebant, ut, qui omissis *instantiis* inferioribus, Magistratum ad judicia aulica citaret, ducentis, qui privatum, centum aureis multaretur, Regemque ut id probaret, litteris rogabant. *Hist. Pr. II. 134. 148. 182. 198. 216. Doc. p. 54. 61.* Sed Rex neque decretum Consiliariorum approbavit, neque alio modo eorum licentiam, qui ad aulica judicia evocabant, repressit. Imo ipse Rex a. 1569. ad Se duos Præconsules, Gedanenses uno jam in aula præsente, & Consulem unum evocari jubebat, ut causam dicerent, ne Syndico quidem, qui causam civitatis pro officii sui religione egerat, ab ejusmodi citatione immuni.

P 3) Jam 1577 questi erant apud Stephanum civitatis Ordines: quod non Magistratus solum, sed etiam privati cives, novis & inusitatis edictis, in causis injuriarum & rerum criminalium, ad tribunal Regium evocarentur. Et Rex tum responderat: non evocatum iri ad tribunal Regium, nisi prius in prima instantia causam dixerit, exceptis tamen causis mere Regiis. *Declar. Ord. plag.*

plag. Ff. p. 4. Jam præsenti tractatuum §. Rex mentem suam pluribus explicat, „nolle Se in privatorum causis, ordinariam ci-„vitatis jurisdictionem, & juris progressum, ac usitatam rationem, „turbari vel impediri„: ut privati prius apud civitatis Magistratum conveniendi, neque instantiæ inferiores prætereundæ sint. Si ergo civitatis Magistratu neglecto, & instantiis inferioribus omissis, causæ ad assessoriale judicium Regium evocantur, habet locum exceptio, & causa ad inferiorem judicem remittitur, quod ni fiat, intervenit civitatis Senatus, ne ordo judiciorum turbetur. A. 1648 Vladislaus IV. per decretum, civem, omisso foro suo ordinario, post curiam evocari vetuit. Idem sequenti anno per suum decretum Joannes Casimirus interdixit. Cum 1752 judicium primariæ civitatis ad judicium assessoriale citaretur, Cancellarius citationem irritam declarabat, cum judicii illius forum apud civitatis Senatum sit. Quando vero privatis de Magistratibus querendum, quod in munere suo, vel negligentia, vel culpa iniqui fuerint, usu obtinet, ut ad Senatum deferatur querela, quo is collegas suos moneat, vel in eos animadvertat. Sed si privati, Senatu non compellato, Magistratus ad Regium judicium citant, intervenit Senatus, & Regem rogat, ut ad se, tanquam primam instantiam causa remittatur, salva ad Regem appellatione. §. XVII.

Q 3) Usus docet, citationes, quas pro sua libidine citantes, aut eorum patroni scribunt, sæpe contumeliis & verbis injuriosis repleri, idque impune.

§. XVIII.

Mandata Regia & ad ea informandi jus. Cursus juris in criminalibus non impediendus.

Mandata e cancellaria Nostra posthac nulla edi mandabimus, quemadmodum & præsentibus mandamus, ordinamusque, quibus legitimus ju-

I ris

§. XVIII. ris & inſtantiarum ordo, & uſitatus judicii proceſſus, in quibuscunque cauſis & actionibus, ad civitatis jurisdictionem pertinentibus, ſuſpendatur vel impediatur R 3). Quod ſi tamen pro cauſæ vel actionis qualitate, Magiſtratus vel partium informationem res deſiderare videbitur, tota cauſa, quemadmodum ab eo, qui mandatum aliquod petierit, narrata fuerit, illo comprehendatur S 3). Ad quam narrationem, ſi quid reſpondendum, vel aliter informandos Nos, Succeſſoresve Noſtros, Magiſtratus cenſuerint, per eum, qui cum eo mandato ſe appellaverit, clauſis litteris, intra bimeſtre tempus, a die exhibitionis mandati, id faciant T 3). Quod ſi prætermiſerint, & is, qui mandatum attulerit, proteſtatus eo nomine idoneis teſtibus fuerit, ejusque rei inſtrumentum indubitatum protulerit U 3), aut fecerint quidem, ſed tamen non ſatis cauſæ, quo minus prius mandatum executi ſint, Nos, Succeſſoresve Noſtri cenſuerint, tum demum ad poenalia mandata procedetur V 3). In cauſis vero criminalibus, in civitate iſta uſitatum legitimum juris curſum impediri nolumus X 3).

R 3) Intelliguntur Reſcripta Regia, quæ vel jure agere vetant, vel ubi actio jam inſtituta eſt, curſum juris ſiſtunt, aut ſi jam latum decretum, illud in executionem deduci non permittunt. De ejusmodi mandatis, ſuam ad Regem Sigismundum Auguſtum a. 1562 deferebant querelam Pruſſiæ Ordines: „non parvam moleſtiam & difficultatem pleraque in his terris judicia „ſubire, quod frequenter, cum jam cauſæ executioni demandari „deberent, ex cancellaria Regia mandata, juri & æquitati contra„ria adferrentur, decreta etiam Sacræ Regiæ Majeſtatis paulo an„te lata, ad inſtantiam unius partis refigerentur, interdum com„minationes & pœnæ graviſſimæ adderentur, ni judices parue„rint, citationes etiam paratæ eſſent, quibus ita judices terreren„tur, ut ſe potius officio abdicare cuperent, quam in eo perple„xo & dubio periculo verſari; inde fieri, ut ita multis immunita„te peccandi propoſita, omnibus ſceleribus habenæ laxarentur, „homicidia impune perpetrarentur, obedientiæquæ nullus locus „eſſet„. Quare orabant Ordines Regem, „ut clementer de„mandare dignaretur, ne amplius talia mandata ad importunam „inſtantiam partis omnino extraderentur, aut ſi per errorem ex„tradita fuerint, efficere, ne quod juribus & privilegiis præjudi„cium & impedimentum adferrent„. Qua occaſione movebant quæſtionem inter ſe Conſiliarii: an mandatis, quæ contra leges & privilegia, parendum eſſet; & unus omnium erat ſenſus, mandata illa omni auctoritate deſtitui. *Hiſt. Pruſſ. II. 193. 204. 205. Doc. p. 56. 90.* Interregno poſt Sigismundum Auguſtum, inter publica vulnera, quibus ut futurus Rex mederetur Pruſſi optabant, fiebat etiam mandatorum & Reſcriptorum mentio, eum in finem, ne iis jurisdictiones impedirentur, ſub poena conſtituenda, & ut nihilominus, iis non attentis, fieret quod juris eſſet. *Hiſt. Pruſſ. III. Doc. p. 18.* Suæ civitatis habebant rationem Gedanenſes, cum Stephano exponerent: „complura mandata poenalia, juri ſuo „non conſentanea, ad unius partis informationem, nonnunquam „etiam contraria decreta, ex cancellaria Regia prodire, quibus & „Magiſtratus vehementer prægravetur, partes, quo minus jus ſuum „conſequi poſſint, impediantur, & judiciorum proceſſus in infi„nitum fere producatur„. Reſpondebat Rex: „mandata prima „non fore poenalia, ſed ſimplicia, tunc vero Senatum teneri, ea „aut exſequi, aut Majeſtatem Regiam de ſtatu cauſæ, de qua aga„tur, informare, ſi non fecerit, ſecunda mandata fore poenalia. „Decreta autem contraria ex cancellaria non prodituraeſſe„. *Declar.*

§. XVIII. *clar. Ord. plag. Ff. p. 7.* Sed de mandatis poenalibus & informatione Senatus ad mandata, ſtatim ad alterum hujus §. membrum agetur, ubi docetur, quid Senatui faciendum, ſi Rex crediderit, juſtas eſſe cauſas, cur partibus adverſus judicia, ſuo mandato ſubveniat, cum in primo membro omnia ejus generis mandata ſubmoveantur.

S3) Poteſt enim cauſa, ab eo, qui mandatum petit, ita exponi, ut juſtum videatur, illum per mandatum judicio eximere. Ut ergo Rex ſciat, an narratio vera ſit, recte narratio mandato inſeritur, quo, ſi cauſa aliter ſe habeat, ac Regi expoſita, Magiſtratus vel pars adverſa Regem edocere queat. Et intelligitur ille Magiſtratus, coram quo cauſa agi debet, aut jam agitur; partium vero ideo ſit mentio, quia ſermo eſt de privata cauſa, de qua inter cives litigatur. Poſſet etiam Magiſtratus ille, de mandato Regio ad Senatum referre, ut hic ad narrationem reſponderet.

T3) Hic removendus eſt error fere communis & inveteratus, quod *jus informandi* Regem, ut loquimur, quo gaudet civitas, his Tractatuum portorii verbis nitatur, cum, qui hoc ſibi aliisque perſuadere conantur, in hiſtoria Majorum ſuorum minus verſati eſſe videantur. *Jus informandi* coepit cum ipſis civitatis juribus & privilegiis, pro quorum integritate dum vigilandum Senatui, *informandi* ab eo erant Reges, quoties ex aliorum conſilio illa imminuere conarentur. Imo jam Magiſter Ordinis Teutonici ſæpe *informatus* eſt, & multæ præceſſerant, non tantum Gedanenſium, ſed etiam cæterarum civitatum & Nobilitatis *informationes*, priusquam provincia ab illo Ordine deficeret: quod illorum temporum hiſtoria abunde docet. Jus enim *informandi*, non tantum Gedanenſes habuerunt, ſed omnes civitates & tota provincia. Inde ſæpiſſime Reges, a Conſiliariis & ab omnibus Ordinibus, ex conventibus, & per legatos, de juribus tum totius Pruſſiæ, tum Nobilitatis, tum Civitatum *informati* ſunt, ut integra ſervarentur, & quæ iis adverſa abrogarentur. Et ſi ipſi Gedanenſes, de ſuis juribus, Reges ante tractatus portorii *informare* non

non potuiſſent, actum forſan fuiſſet de eorum juribus, ſed ut alia exempla taceamus, cum Stephanum de juribus informarent, docerentque, tempore Sigismundi Auguſti, jura in multis eſſe violata, priusquam tractationem inirent, patet, Gedanenſes jus *informandi* a Stephano non accepiſſe, verum jam habuiſſe. Illa ergo *informatio*, cujus in præſenti §. ſit mentio, ad ſola mandata Regia, in cauſis privatorum judicialibus referri debet; quod probant verba: *ad quam narrationem*, quæ ſcilicet mandato comprehenditur, *ſi quid reſpondendum, vel aliter Nos informandos, Magiſtratus cenſuerint.* Debet informatio ad Regem referri per eum, qui ad Magiſtratum mandatum detulit, & eum compellavit, ac referri litteris clauſis, hoc eſt, obſignatis. Spatium intra quod fiat *informatio*, duobus menſibus circumſcribitur, quod ii qui credunt, eſſe hic ſermonem de informationibus in cauſis publicis, quæ jura civitatis tangunt; etiam ad hujus generis *informationes* transferunt, quaſi has ultra duos menſes differre haud liceat, ſecus inanes futuras; qui error ex priore, quem notæ præſentis initio memoravimus, ortus eſt. *Informationes* pro publicis juribus, non menſibus, non annis circumſcribuntur, cum omni tempore defendi queant. Qui contrarium ſtatuunt, legem allegent, ſed aliam quam ex Tractatibus portorii, qui de ſolis mandatis, in cauſis privatorum judicialibus loquuntur, ut dictum ante. Jam anni aliquot tranſierant, cum Stephanum Gedanenſes docerent ſeu *informarent*, jura ſua a Sigismundo Auguſto in multis læſa eſſe. §. XVIII.

U3) Si Magiſtratus & partes, quarum paulo ante facta mentio, *informare* omiſerint, debet, qui mandatum attulit, coram idoneis teſtibus *proteſtari*, non tamen absque Regis Notario, qui hic ſiletur, cum *proteſtationes* fieri ſoleant, coram teſtibus & Notario Regio, qui etiam *proteſtationis inſtrumentum* ſcribit. Nec minus ex his cognoſcitur, haud agi de mandato ſeu Reſcripto, in cauſa ad civitatem & ejus jura pertinente, quando enim tum Senatus informat, non adeſt, qui Reſcriptum attulit, non adſunt Notarius & teſtes, ut proteſtatio fiat, quam ſcribat Notarius, ſi *informatio* non conſtituto tempore ſecuta eſt. Et quando

§. XVIII. quando in privata causa mandatum Senatui a Notario cum testibus exhibetur, neque ille cujus interest, neque Notarius inquirunt, an intra bimestre tempus *informatio* facta, tantum abest ut protestatio sequatur. Quod ad ipsam *informationem*, non redditur illa Notario, aut ei cujus interest, sed ad Cancellarium, qui in aula versatur, mittitur, ut de ea Regi referat.

V3) Ordinum Prussiæ & civitatis Gedanensis de mandatis pœnalibus quærelas, & Stephani responsionem: non prima mandata fore poenalia, sed simplicia, secunda vero poenalia; nota R3) præsentis § memoravimus. Idem jam Rex repetit, & ut ex toto §. patet, agi de causis privatorum judicialibus, ita in ejusmodi causis mandata poenalia locum habent, non in publicis, quando de civitatis juribus agitur. Exemplum rescripti poenalis in causa publica, occurrit circa finem notæ Bb) ad §. IV.

X3) Sigismundum Augustum, etiam in causis criminalibus, mandatis suis cursum justitiæ turbasse, ex nota R3) intelligitur, quod Se Gedani haud facturum Stephanus promittit, qui jam antea receperat, appellationes & revocationes non admissum iri, cum Gedanenses questi: „actiones criminales, contra vetu„stissimas civilium judiciorum libertates, & inveteratam consue„tudinem, ad Regium tribunal revocari, ac reos criminum, cum „ad subterfugiendam poenam, frivolas interponant appellationes, „ad malitiam fovendam, præsidiis publicarum litterarum, mandatorum, exemtionum & inhibitionum adjuvari„. *Declar. Ord. plag. Gg p. 2.*

§. XIX.

In expeditionibus maritimis civitatis habenda ratio. De Speculatoribus Sigismundi Augusti.

Mari si quid, pro re, ac necessitate Regni, & ditionum, subditorumque Nostrorum gerendum statuerimus, Successoresve Nostri statuent, §. XIX. mature id deliberatoque fiet, & civitatis Nostræ Gedanensis, quæ maritima expeditione maxime præ cæteris afficeretur, æqua ratio habebitur Y3). Tale vero prædonum specultatorumque genus, quale hactenus, cum publico incommodo fuit, plane abominamur Z3), Nostroque, & Successorum Nostrorum nomine tollimus A4).

Y3) Huic §pho occasionem præbuerunt speculatores a Sigismundo Augusto instituti, haud provide, sed temere & illorum consilio, qui ex præda maritima lucrum captabant. Non consulti Gedanenses auditique, quorum tamen maxime intererat, navigationem non turbari, quibusque a Casimiro, maris & littorum custodia ac securitas mandata fuit: & in quos, ob illos speculatores, præter transmarinorum invidiam, multa incommoda derivata sunt, ut etiam, quæ a speculatoribus patrata, magna pecunia luere cogerentur. Ne ergo tale quid in posterum accideret, civitas apud Stephanum providit, ut promitteret, si quid pro publica necessitate mari gerendum, id Se & Successores, mature & deliberato facturos, quo civitas consuli & ejus ratio haberi possit; cui ex bello maritimo maxima damna metuenda sunt, cum ad mare sita discrimini obnoxia sit, & ex commercio maritimo commoda intercipiantur. Post Stephanum, bello inter Poloniam & Sueciam, haud postrema Gedanensium fuit cura, ne ex suo portu hostilia in Suecos fierent, quia hac conditione ipsis licebat cum Suecis commercia exercere. Sed versis a. 1626 a Rege Gustavo Adolpho, ex Livonia in Prussiam armis, Rex Poloniæ Gedani instruxit classem novem navium, civitatis Ordinibus haud consultis, ex cujus portu classis illa excurrens, exteras naves promiscue capiebat, ac in portum abductas diripiebat. Unde civitati magnum apud transmarinos odium, & negotiatio mari inter-

§. XIX. interrupta, Gedanensibus & Ordinibus Prussiæ frustra Regem orantibus, ut omnis vis ex illorum portu cessaret. *Hist. Pruss. V. 196. 201. 208.* Redibat securitas, & cum securitate maritimum commercium, classe a. 1628 Cæsari adversus Regem Daniæ in auxilium Vismariam missa, *Piasec. p. 482.* ubi periit. Induciis sexennalibus cum Rege Sueciæ a. 1629 compositis, sequenti anno, peculiari cum eodem Rege pacto, Gedanenses promittebant: „se „toto induciarum tempore, nec publico nec privato nomine, nec „navim bellicam, nec classem ullam, vel exstructuros, vel ador- „naturos, aut munituros, per se aut per alios, nec permissuros, „quemquam alium, quisquis ille sit, nemine excepto, ædifica- „re, instruere, munire aut educere navim bellicam, aut classem „e portu suo, sub quocunque prætextu: item nec admissuros, aut „in portum suum recepturos, si aliunde advenerit, sed impedi- „turos omni modo: hoc tamen concesso, si cives Gedanenses „mercaturæ suæ causa naves quasdam fabricarent, aut munirent „pro securitate commerciorum„ &c. *Hist. Pruss. V. Doc. p. 174.* Prorogatis a. 1635 cum Regina Sueciæ in annos viginti sex induciis, cavendum erat civitati Gedanensi cum cæteris majoribus Prussiæ civitatibus, se non permissuram, ut toto induciarum tempore, ex suo portu hostile quicquam Reginæ, Regnoque Sueciæ ac subjectis ditionibus & provinciis inferatur. *Hist. Pruss. VI. 78. 82. Doc. p. 45.* Nec minus post pacem Olivensem cum Suecis, in id intenti fuerunt Gedanenses, ne ex suo portu navigatio turbaretur.

Z 3) Speculatores Sigismundus Augustus, ut antea dictum, instituerat, ut naves in Livoniam Russis & Suecis annonam, bellicum apparatum ac alia subvehentes, interciperent, qui potestate sibi concessa in suum lucrum male utentes, promiscue omnes naves, etiam quæ Gedanum tenderent, capiebant, deductasque in hujus civitatis portum, cum mercibus vendebant, nisi eas in suas excursiones aptarent. Id admodum offendebat illos, quorum subditi & cives mari negotiationem exercebant, & Gedanensibus magnum conflabat odium, quod speculatoribus portum

tum suum in receptaculum præberent, raptasque naves & merces vendi sinerent, additis minis, illata damna in ipsorum navibus & mercibus vindicatum, ipsosque navigatione interclusum iri. Quare Regem Gedanenses orarunt, ut dimitteret speculatores, quo a civitate, quæ imminebant mala, averterentur, quod Rex se facturum promisit, si Prussiæ Ordines, collatis consiliis, suis sumtibus, subvehentes hostibus merces navigatione prohibere vellent. Hi existimabant, „haud salubrius inveniri posse consilium, „quam ut recuperandæ sanctissimæ pacis rationes quam citissime „inirentur, propter alia undequaque incumbentia pericula. Inter- „ea vero cum Serenissimo Danorum Rege & cum civitate Lu- „becensi agendum, quorum utrique ex confoederationis jure, „ne hostes validiores redderentur, providere conveniret, ut ab „usurpatione Narvicæ navigationis, ex qua uterque hostium ve- „hementer armaretur, prorsus abstinerent„. - - - - Deinde Ordines pernecessarium ducebant, „ut, quoniam Pomeraniæ Duces, „tam suis subditis, quam ipsis Suedis, ultro citroque importandi „& exportandi omnis generis merces plenam facultatem concede- „rent - - - cum illis per Legatos ageretur - - - ut se ad pacto- „rum conservationem melius, quam antehac factum esset, con- „formarent. Denique, ut Consulatus Gedanensis, in omnes tam „cives quam exteros, qui ex portu egrederentur, animadverte- „ret, accepto ab iis juramento, ut ab hostili terra non modo ab- „stinerent, sed ne quid earum mercium ad eam transportaretur, „modis omnibus quam diligentissime caverent, & ut in eos, qui „secus fecerint, quive ex hostili terra in portum Gedanensem ap- „pulerint, nullo habito personæ respectu, serio animadverteretur. „Has suas rationes, præter quas se non alias habere Ordines pro- „fitebantur, ut Rex clementissime respiceret & terris Prussiæ ac „civitatis Gedanensis quieti, abrogatis speculatoribus, consule- „ret„, Ordines supplicabant. *Hist. Pruss. II. 330 334. 335. Doc. p 157. 158.* Post Ordinum Prussiæ preces, Gedanenses suas repetebant, quibus effectum, ut anno 1567 a Rege speculatoribus Gedanensis portus interdiceretur, quo tamen non abstinebant, prædam in eum, ut antea, convehentes, quo civitatis apud exteros §. XIX.

§. XIX. teros invidia, & vindictæ metus augebantur, Suecis jam naves Gedanensium intercipientibus. Contra speculatores, Patronis suis, inter quos non postremus fuit Castellanus Gedanensis, confisi, in dies licentius agebant, ut etiam in terra prope civitatis portam nocturno tempore, Pomeranos Cassubiosque, pro more cibaria & merces subvehentes, invaderent, sauciatos diriperent, rapinamque in navim ad vistulæ ripam stantem comportarent, quorum undecim a Gedanensibus capti, tanquam latrones ultimum supplicium subierunt, eorumque capita ad Vistulæ ripam, in terrorem sodalium palis suffixa sunt. Id vero in magnum crimen versum est, quasi in Regis & Regni contemtum, milites Regii fere innocentes capite truncati, & etiam post mortem, ludibrio expositi essent. Quare famosus ille eo tempore Fridewaldus, civitatem coram Rege accusabat, & Commissarii Gedani, capita latronum amotis palis, honeste sepeliri decernebant, quod cum non factum, multa undecim millium aureorum in Magistratum constituta, qua cum Rex comitiorum tempore a. 1570 absolvit, totam causam ad futura comitia differens. *Hist. Pruss. II. 373. 374. De commissionis Gedanensis negotio plag. G. p. 7. & seq. plag. R. p. 2. Karnk. de jure provinciali pl. R p. 2. 3.* Ne tamen Rex speculatorum licentiam probare videretur, eodem tempore a Commissariis in eos inquiri & animadverti ac eos sedem suam ab ora Prussiæ, Pernaviam in Livoniæ portum transferri jussit, cui mandato cum non parerent, triginta speculatores, navibus aliquot interceptis, & in Daniam abductis, ibidem piratarum supplicium subierunt. *Karnk. de jure provinc. plag. R. p. 6. Hist. Pr. II. 407. 408.* Sed Gedanenses, innocentes quamvis, alio modo prædonum horum luebant facinora, qui commerciis & navigatione per fretum Danicum prohibiti, merces & naves in Dania & Norwegia detentas, cum mercandi & navigandi libertate, centum thalerorum millibus, ad sarcienda subditorum Regis Daniæ a speculatoribus illata damna, redimere cogebantur. *Hist. Pr. II. 408. III. 50. 51.* Speculatores Parnaviam secedere jussi, sedem suam ad oram Pucensem, tutos se ibi fore rati, quod Gedanensis Castellanus, Pucensis Capitaneus erat, figebant, quorum aliquot a. 1573, comitati cum navibus
suis

suis redituram ad suos legatum Gallicum, in Dania capiebantur, §. XIX.
& ad exemplum priorum, ut piratæ puniebantur, quo tempore illorum tres ultimo supplicio Gedanenses affecerunt, quorum capita in maris littore palis suffixa sunt. Mox alii in civitate Pucensi custodiæ mandebantur, ut qui ex hac hominum colluvie supererant, dilaberentur. Tum mari securitas, quam speculatores turbaverant, reddita est. *Hist. Pr. III. 67.* Suas ex speculatoribus molestias & damna Regi Stephano Bidgostiæ seu Brombergæ a. 1577 exponens civitas, memorabat: „se quidem Regem Sigismundum „Augustum orasse, ut speculatores dimitterentur, nihilominus „eos nullo vel hostium vel amicorum habito discrimine, rapinas „exercere, & in portum suum se recipere non desiisse. Qua „re Serenissimum Daniæ Regem commotum, quod maris baltici „securitas eo modo maxime perturbari diceretur, non tantum „speculatores illos, ubicunque deprehensos, ad supplicium retraxisse, verum etiam civitatis naves complures, in tertium annum usque detinuisse, navibus interea computrescentibus, mercibus etiam compluribus corruptis vel amotis, tandem cum nullum aliud præ manu esset remedium, coactam fuisse civitatem, „ad liberandas naves, & redimendam navigationis libertatem, „centum millibus thalerorum depacisci, præter cæteros sumtus, „crebris & continuis legationibus ac tractatibus impensos„. - - - Non censebant civitatis Ordines, „ab æquitate alienum esse, summam illam pecuniariam & alia damna sibi refundi, & in posterum recte caveri, ne juri suo, quod civitas habeat in rem maritimam, per quasvis ejus generis impressiones tam insigne fiat præjudicium„. Respondebat Rex: speculatores maris eo modo, „quo fuissent antea, Se abrogare, si quas tamen naves in mare „expedire in animum induxerit, id communicato consilio cum „Senatu, ipsoque sciente, Se facturum esse„. Post dies aliquot, „addebat civitas: „se speculatorum maris ideo mentionem fecisse, „ut Regi liberæ navigationis rationem, & quomodo cum Serenissimo Rege Daniæ, ob speculatorum factum, centum thalerorum „millibus, ad liberandas naves cum mercibus, ac navigationis libertatem, summo cum civitatis detrimento depacisci coacta fuerit

 rit

§. XIX. „rit, ob oculos humillime deponeret„. Reſpondebat Rex: „Se „ſpeculatores abrogare, ac in poſterum eorum opera non uſurum„. Civitas vero ſubmisſiſſimis verbis magnas gratias agebat. *Declar. Ord. plag. Ff. p. 4. 5. pl. Kk. p. 6. pl. Oo. p. 2. pl. Rr. p. 2.* Hæc ante tractationem de portorio, in ipſa tractatione, ſpeculatores non ſilentio transmittebantur, & civitas acquiescebat in Regis declaratione: Se tale prædonum ſpeculatorumque genus, quale hactenus cum publico incommodo fuit, plane abominari & Suo & Succeſſorum nomine tollere. Simul placebat, ſpeculatores iſtos, olim ſervitores Regiæ Majeſtatis vocatos, juſto ſuo nomine prædones appellari, cum mari prædati eſſent, quare piratarum ſupplicium ſubierant. Sequens ætas ejusmodi ſpeculatores non vidit, qui Sereniſſimorum Regum Poloniæ mandato navigationem turbaſſent, ac portum Gedanenſem pro prædarum receptaculo habuiſſent.

A 4) Ne in poſterum inſtituerentur, ut inſtituti non ſunt, quod in fine proximæ notæ diximus. Quos induxerat Sigismundus Auguſtus, tum ſupplicium, tum ſupplicii metus ſuſtulerat, ut nullibi viſerentur.

§. XX.

De ſalvis conductibus.

Salvi conductus, ad excludendas controverſias & actiones civiles, nulli dabuntur B 4), ita autem iis, quibus aliqua ex cauſa dati fuerint, uti volumus, ut non modo ad licentiam impunitatemque iis non abutantur, ſed ne ab ordinaria quidem jurisdictione iis ſeſe eximant, ac a vi quidem & potentia magiſtratuum tecti illis ſint, nec interim in con-

§. XX. contemtum ſalvi conductus, noſtræque auctoritatis, carceribus coërceantur: in jure tamen nihilominus reſpondere, legibusque obtemperare teneantur C 4). Tum vero ultra trium menſium ſpatium nemini dari volumus D 4), intra quos & Magiſtratus, ſi indignum, qui ſalvum conductum acceperit, beneficio hoc Principis exiſtimaverit, Nos informare poſſit, & is, qui in tutelam acceptus a Nobis fuerit, priusquam ſalvus conductus exſpiret, contra majorem vim, ſi tutela Noſtra dignus ſit, denuo ſibi proſpicere E 4). Si quis etiam prætextu ſalvi conductus, eodemque ſtante, criminale quod commiſerit, illo non obſtante, prehendendi jus Magiſtratui erit F 4), recteque in eum ex lege agi, & pro ratione admiſſi facinoris, animadverti poterit, ita tamen, ut Nos Succeſſoresve Noſtros, primo quoque tempore de eo informet G 4).

B 4) Habet locum *ſalvus conductus*, in cauſis civilibus, non criminalibus, ut jam Sigismundus Auguſtus, in reſponſo internuntiis civitatis a. 1567 dato, profeſſus: „ſe *ſalvos conductus* „concedere ſolere, non in criminalibus cauſis, ſed in civilibus „duntaxat, neque enim velle ejusmodi ſalvorum conductuum „litteris, impunitatem ullam propoſitam hominibus facinoroſis, „ſed præſidium duntaxat innocentiæ comparari„. *De Commiſſionis Gedanenſis negotio, plag. T. p. 5.* Contra hanc Regis mentem, in conſtitutionibus Karnkovianis *tit. de ſalvis conductibus* decernitur: „ſalvos conductus Regios, tanquam privilegia perſonalia, „ſtrictis-

§. XX. „ſtrictiſſime ex æquo, propter Principis reverentiam, eſſe
„ſervandos, neque cuiquam hominum eosdem violare fas
„eſſe. Quodſi autem publicæ rei & neceſſitati expediat,
„ob delictum aliquod notabile, eum qui deliquit, tanquam
„protectione indignum, Principis benignitate, propter exem-
„plum, ne ſcelerum impunitate, alii corrumpantur, frui
„non debere, rem ad Principem referendam eſſe, ad cu-
„jus tribunal, facinoroſum unis litteris citationis peremtorie
„prius evocatum, tandem a Magiſtratu civitatis judicandum, poſt-
„quam declaratione Sacræ Regiæ Majeſtatis, ſalvo conductu ejus-
„modi indignus per ſententiam pronuntiatus fuerit„. Quare
apud Stephanum querebatur civitas, ſalvos conductus ſine cau-
ſarum discrimine dari. *Decl. Ord. plag. Ff. p. 8.* Quod jam
Stephanus corrigit, ſalvos conductus intra cauſas civiles coërcen-
do. Non ergo valuit a. 1636 in cauſa criminali ſalvus conductus,
Senatu ad Tractatus portorii provocante. Ex cauſis civilibus,
actiones contra banciruptores excipiuntur, quibus a litteris mo-
ratoriis petenda eſt ſecuritas, nec illis a. 1741 & 1757 ſalvi con-
ductus profuerunt.

C4) Dato ſalvo conductu, manent actiones civiles, ma-
net ordinarii Magiſtratus jurisdictio, ac ſi ſalvus conductus datus
non fuiſſet. Idem antea ſenſerat Sigismundus Auguſtus, qui in
Reſcripto ſuo a. 1563 voluit, „ut in civilibus cauſis omnibus,
„quomodocunque intentatis vel intentandis, ii ipſi cives, quacun-
„que ſalvi conductus prærogativa muniti, coram Senatu vel judi-
„cio civili conventi, omnibus actoribus reſpondeant, ac Magi-
„ſtratui ſine ulla cunctatione pareant„. Et a. 1566 idem Rex de-
claravit, „ſalvum conductum neminem a jure ordinarii judicis
„vindicare„. Sed ſalvus conductus tantum a vi tutum præſtat &
ne is, qui impetravit, in ejus & Regiæ auctoritatis contemtum,
in carcerem conjiciatur, ut Sigismundus Auguſtus a. 1566 decla-
raverat: ſalvum conductum a vi duntaxat & potentia eximere; &
anno præcedenti: ſalvum conductum vim & potentiam reprimere.
De Commiſſ. Gedan. negotio, plag. T. p. 5. Aliter conſtitutiones
Karn-

Karnkovianæ, loco antea citato, quæ arbitrio ejus, qui ſalvum §. XX.
conductum habet, permittunt, ſi tanquam cauſæ non diffidens
in judicio reſpondere, ſuamque innocentiam defendere velit.

D4) Non ſolebant *ſalvi conductus* ad certum tempus dari,
qui jam trium menſium ſpatio circumſcribuntur: addideratque
in ſua ad Gedanenſes reſponſione Bidgoſtiæ a. 1577 Stephanus:
„ut ſalvum conductum obtinens infra trimeſtre ſpatium ſe juſtifi-
„cet, aut Majeſtatem Regiam Senatus de eo informet„. Si ergo
tempus trium menſium ſalvus conductus excedit, licet errorem
cancellariæ, Regi ſubmiſſime exponere, & ſalvum conductum
pro irrito habere, ut a. 1679 factum eſt.

E4) Duo intra tres illos menſes fieri poſſunt, Magiſtratus
Regem docere, receptum in Principis tutelam, ſalvo conductu
eſſe indignum, & qui ſalvum conductum accepit, novum a Re-
ge petere. Prius jam Rex mandaverat, in citato antea Reſponſo
Gedanenſibus dato, quod civitatis Ordinibus ita placuerat, ut Re-
gi permagnas & immortales gratias agerent. *Decl. Ord. pl. Oo p. 2.
pl. Rr. p. 4.* Habetur autem ſalvo conductu indignus, qui car-
cerem promeruit, aut in quem ante ſalvum conductum carceris
pœna jam decreta eſt: & ſic Rex edoctus, ſalvum conductum ir-
ritum declarat: quem in alios tres menſes ante priorum finem
prorogat, ubi a Magiſtratu aut nulla, aut non juſta cauſa allata eſt,
quo minus id fieri queat.

F4) Ut in cauſis criminalibus ſalvi conductus locum non
habent, ita qui in civili cauſa ſalvum conductum impetravit, &
crimina patrat, pro eo habendus, qui facinore ſe ſalvo conductu
indignum reddidit, in quem ita agi poſſit, ac ſi ſalvo conductu
deſtituatur. Jam a. 1552 Sigismundus Auguſtus in Reſcripto ſuo
declaravit: „velle Se, ut ſi quid forte atrocius a civibus, qui pu-
„blicæ fidei litteris muniti ſunt, fuerit tentatum, civitatis Burg-
„grabius eos comprehendendos curet„. *De Commiſſ. Gedan. plag.
T. p. 4.* Quod poſtea per conſtitutiones Karnkovianas non lice-
bat,

§. XX. bat, quæ salvos conductus strictissime servandos præcipiunt, ut nulli hominum eos violare fas sit, & si quis ob delictum aliquod notabile se protectione indignum reddiderit, res ad Principem referri debeat.

G4) Sigismundus Augustus in Rescripto, præcedenti nota citato, permittit eos, qui, dum salvo conducti muniti, crimina patrarunt, in carcerem a Burggrabio dari, sed non puniri, verum injungit Burggrabio „summariam de delicto informatio-„nem accipere, ac ad Regem mittere, qua visa & probe exami-„nata, quid fieri oporteat, Ipse rescribat„. Stephanus præter carcerem, Magistratui etiam ex lege agendi & puniendi facultatem concedit, modo Rex de facinore & pœna edoceatur, & quidem primo quoque tempore. Qui dum Magistratui plenam, ex lege agendi puniendique facultatem concedit, & Rex sive remittendi sive minuendi pœnam, potestatem Sibi non servat, sufficere videtur, si, punito qui crimen commisit, & facinus & supplicium rescisceat. Cæterum de *salvis conductibus* hoc unum addendum, non nisi a Rege dandos esse: quare non valuit, quem a. 1680 judicium Nuntiaturæ Varsaviæ dederat.

§. XXI.

Ne Rex quemquam a Magistratus jurisdictione ac muneribus oneribusque eximat.

A jurisdictione & communibus muneribus, aut oneribus civitatis personalibus, vel realibus, neminem eximemus, Successoresque Nostri eximent H4). Ad eos vero quod attinet, qui a Divis Decessoribus Nostris, aut Nobis etiam Ipsis, antehac hujus generis litteras impetrarint I4), de

de iis eam mentem sententiamque Decessorum Nostrorum, Nostramque, sicut ante fuit, ita adhuc esse, præsentibus declaramus: ut eo usque saltem iis uti possint, si non ex recenti, vel contractu vel delicto, eo loci commisso, conveniantur L4); Quod si vero, qui hujusmodi aliquo privilegio Nostro, Decessorumve Nostrorum muniti sint, eo ad aliorum injuriam abuti, fiduciaque ejus, delicto aliquo aut contractu obstringere se voluerint, ordinarii Magistratus judicium, cui vel contrahendo vel delinquendo, tacite quodammodo ipsi se submittunt, minime recusare possint. §. XXI.

H4) Mos, Sigismundo Augusto regnante invaluerat, ut quidam ex civibus & incolis, Regium privilegium sibi compararent, quo Magistratus ordinarii jurisdictione, & cæteris quæ ex hac jurisdictione fluunt, eximebantur, addito titulo, ut Regii Secretarii, Factores, Servitores dicerentur, aliis sine ejusmodi titulo aulico, in sola exemtione acquiescentibus. Omnes illi vocabantur exemti, quod nomen in actis civitatis publicis illorum temporum passim legitur. Aegre ferebant Ordines, esse, qui cum civium juribus fruerentur, Magistratui non parerent, publica munia detrectarent, nihilque in civitatis necessitates conferrent, ut de abrogandis exemtionibus, in civitatis injuriam inductis, consultaretur. Subvenerunt exemtis Karnkovianæ constitutiones, quæ titulo *de personis exemtis* vetabant, „personas pecu-„liari privilegio Regio exemtas, in civilibus turbare, nedum in „criminalibus, cujuscunque tituli Magistratus, etiam officii Burg-„grabiatus prætextu, judicare, sed eas ad competens forum re-„mittendas, ut judices earum competentes, in loco delicti jus „dictent; sub pœnis in iisdem exemtionibus, & aliis in violato-

L „res

§. XXI. „res protectionis Regiæ, legibus constitutis„. Civitatis Ordines tamen, qui constitutiones illas ad se nihil pertinere credebant, de redigendis ad officium exemtis, conferre consilia pergebant, placebatque, legitimam Magistratuum auctoritatem tueri, exemtis, ut intra civitatem domos aut alios fundos compararent, haud permittere, imo eos in civitate ne quidem tolerare, nisi legibus parere vellent. Erant ergo inter ea, quæ aboleri volebat civitas, antequam in verba Stephani juraret, etiam litteræ exemtionum, „quæ summam inter cives, qui in bene constituta Republica ejusdem conditionis esse deberent, inæqualitatem parerent, eorum „obedientiam & debitum dissolverent, ac Magistratus auctoritatem maxime labefactarent, præsertim quod ut plurimum exemtæ personæ, dum plus sibi quam aliis licere putarent, multa „contra leges ac mores civitatis committere solerent, cum summo Magistratus contemtu, cæterorumque civium damno & præjudicio„. Ad quæ Stephanus: exemtiones non datum iri, nisi servitoribus & familiaribus mere Regiæ Majestatis. Redibat civitas ad priores preces, ut litteræ illæ nemini, qui jure civitatis uti, vel in civitate habitationem habere vellet, darentur, addito Nobilium exemplo, qui in civitatem commigrantes, ad civilia onera ferenda obligati essent. Rex perstabat in suis servitoribus, „ex „quibus si quis exemtione sua abusus fuerit, illum secundum rationem excessus, puniri Se curaturum„. Ordines respondebant: „cum omnes simus servitores Serenissimæ Majestatis Regiæ, & „Ejus Majestatis servitio ac ministerio addicti, æquitatis rationem „non admittere censemus, alios præ nobis, qui sumus Consiliarii & Magistratus Majestatis Regiæ, eximere, vel iis majores prærogativas concedere. Si autem ipsa necessitas omnino exigere „visa fuerit, ut servitores suos Majestas Regia in civitate habeat, „æquissimum esse judicamus, ut nobiscum ad omnia jura & onera civilia obligentur & obstringantur„. *Declar. Ord. pl. Bb p. 1. pl. Ff. p. 8. pl. Ll. p. 5. pl. Oo. p. 3. pl. Rr. p. 4. 5.* Tractatio de portorio, cum aliis, etiam exemtiones resumsit, faciebatque spem Supremus Regni Cancellarius, posse eximendos ad exiguum numerum redigi, ut eorum plures non essent, quam quatuor circiter

citer aut quinque, a Regis ministeriis omnes; sed negabant internuntii, posse in civitate ferri, qui Magistratui non parerent, docentes superiorum temporum exemplis, exemtos illos multa adversus publicam salutem molitos esse, quod Regis tutela freti, leges & Magistratum despexissent. Rex vero declarabat: „non daturum Se exemtiones, nisi iis, qui in aliquo ministerio, & quasi „de familia sua essent, eorumque numerum ita Se moderaturum, „ut uno eodemque tempore non plures quam quatuor, aut ad „summum quinque futuri sint, neque aliter exemtum iri, nisi ut „Magistratui urbano non subsint, propter bona vero, si quæ intra „civitatis jurisdictionem habuerint, ea præstent, quæ ab aliis bonorum nomine præstentur, & nemo se a realibus oneribus, exemtionis obtentu, vindicet„. Contra civitas non destitit orare, ut nullæ plane exemtiones darentur, frustra permittente Cancellario, ut qui confisus exemtioni, contra intestinam tranquillitatem aliquid ausus fuerit, statim ad Regem deferretur, & qui in civitate contraxerit, suum in civitate, tanquam loco contractus, forum haberet. Tandem Rex unum tantum eximere voluit, sed cum etiam unus, per impunitatem satis molestiarum concitare posset, neque in unum Gedanenses consentiebant, & Optimus Princeps civitatis suæ constantiæ cedens, promisit: „Se & Successores Suos, neminem a jurisdictione & communibus muneribus „aut oneribus civitatis personalibus vel realibus exemturos esse„. Ita Stephanus publica conventione, Magistratui auctoritatem, & civitati jura in cives & incolas asseruit integra, quæ Sigismundus Augustus exemtionibus imminuerat, ne cui jam liceat per Regium privilegium, se Magistratus jurisdictioni subtrahere, aut munia civitatis recusare, aut pecunias, quoties publice conferendæ, abnuere: manente Regis potestate, cives & incolas Servitorum, Factorum, & Secretariorum titulis condecorandi. Neque civitatis Senatus aulica hæc nomina, suis civibus incolisque invidit, modo nulla exemtio tentaretur, secus jus adversus exemtionem, Regi submississime exponebat ac tuebatur. Recentiore ætate in locum Servitorum, Factorum & Secretariorum, successerunt Cubiculariorum & Consiliariorum, & quidem non unius generis §. XXI.

§. XXI. tituli, de quibus idem repetendum, quod modo de Servitoribus, Factoribus & Secretariis dictum est, nimirum nihil per splendida hæc nomina Magistratus & civitatis juribus detrahi. In hoc illis Senatus indulgere solet, ut quando ante titulos aulicos munia civitatis obierunt, post titulos, ad ipsorum preces iis eximat, ut si centumviri, curatores sacrarum ædium, Xenodochiorum, &c. fuerunt, esse desinant, quod soli Senatus debent benevolentiæ, jure enim non solum civica munia, quæ habent, retinere, sed etiam, post aulicos titulos nova, si conferrentur, recipere eos oporteret. Dum vero Rex Poloniæ haud quemquam jurisdictione, muneribus & oneribus civitatis eximit, multo minus id a Principibus externis fieri potest, quando ab Iis aulici tituli petuntur obtinenturque.

I 4) Intelliguntur, qui a Sigismundo Augusto, Henrico & ipso Stephano, ante portorii tractatus, exemtionum litteras obtinuerant.

L 4) Optaverant Gedanenses, ut omnes exemtiones, quæ Tractatus portorii præcesfissent, abolerentur, quod Rex abnuit, sufficere credens, si in recenti contractu & delicto, adversus Magistratus auctoritatem non valerent; Et Gedanenses eo facilius cesserunt, quod pauci anni exemtionibus illis finem allaturi essent.

§. XXII.

Contubernia & collegia, sua statuta a solo civitatis Senatu recipiant.

Hoc etiam pro rei ipsius æquitate, & civitatis jure conservando, statuimus, contuberniis opificum, cæterisque collegiis, privatim privilegia aliqua minime danda M 4), si quæ etiam data sint, nullam

nullam iisdem juris auctoritatem tribuendam N 4); §. XXII. Senatui vero, more majorum, de collegiorum, corporumque statutis, (salva fide Nobis, Successoribusque Nostris debita O 4,) ex civitatis rationibus, & communi utilitate statuendi, jus potestatemque integram relinquimus P 4).

M 4) Sunt in civitate multa opificia, quorum singula seorsum arctiori vinculo juncta, peculiarem societatem, quæ per contubernium intelligitur, constituunt. Præter opifices, sunt, qui alio modo quæstum faciunt, neque manu ut illi laborant ac res conficiunt, qui tamen ut opifices inter se sociantur, quorum sodalitates hoc loco, per collegia intelliguntur, possuntque braseatorum & institorum dici præcipua. Contubernia & collegia, habent sua statuta & privilegia, quæ illis serviunt, qui contuberniis & collegiis adscripti sunt, & quæ privatim dari, præsens Tractatuum caput vetat, ad rei æquitatem & jus civitatis provocans: quasi iniquum & injustum sit, ejusmodi privilegia privatim, Senatu inscio, dari, quæ Sigismundus Augustus braseatoribus & lanionibus dederat. Braseatores enim a. 1552 privilegium impetraverant, quo Rex illorum collegio nonnulla largitus, quæ a Senatu peti debuissent, & quæ hic, si minus ex civitatis commodo fuissent, negare potuisset. Quare statim ac exhibitum privilegium, Senatus sollemni more contradicebat, quia non a se, sed a Rege, non publice, sed privatim, clam & Magistratu inscio, impetratum esset. Sed braseatores cum ad Senatus contradictionem respondissent, privilegium suum a. 1555 Regio decreto firmari curabant, & accisam, ab Ordinibus cerevisiæ impositam, aversati, Senatum ad judicia Regia citabant. Sequebatur tamen a. 1568 compositio, quam 1570 Regii Commissarii irritam declarabant, de quo merito Ordines questi, quod via ad dissensiones reclusa esset. Secutum braseatorum exemplum, lanionum contubernium, a Rege privilegium impetraverat, quo laniones confisi, Senatus decretis parere

§. XXII. rere detrectabant, ac illum ad Regia judicia evocabant, eratque nonnullorum tanta in Magistratum contumacia, ut veluti seditiosi ex civitate proscribendi essent, qui se Regio decreto & mandato, adversus Senatus auctoritatem muniebant. Erat ergo inter publicas querelas, quæ Ordines ad Stephanum a. 1576 deferebant: „quod contubernia & collegia, utpote lanionum & braseatorum, „specialibus indultis, immunitatibus, beneficiis ac constitutioni-„bus, quæ cum publicis civitatis libertatibus, constitutionibus „ac plebiscitis pugnarent, donati ac muniti essent: eoque fieri, „ut integra contubernia, non solum leges publicas, cum omni „Magistratus imperio proculcent & evacuent, sed etiam in com-„merciis rerum venalium, quæ usui domestico sint, & quarum „moderationem non admittant, suo arbitratu, præter æquum & bo-„num concives suos onerent & emungant. Ejus generis etiam „illud esse, quod Domini Commissarii contractum sollemnem, „constituendæ concordiæ causa cum braseatoribus initum, levis-„simorum hominum impulsu, nullo juris ordine resciderint, quo „pacto discordiæ renatæ, aliæque difficultates ortæ, multi vero „ad conculcandas leges & dissolvendam tranquillitatem publicam „facti essent audaciores„. Respondebat Rex: „Se nihil contra ali-„quorum privilegia facere, sed ea sarta tecta habere velle, in po-„sterum etiam nulli contubernio privilegia daturum, quæ juri „publico & statui civitatis contraria sint„. Querelam vero de re-scisso cum braseatoribus contractu, Rex ad comitia rejiciebat. Sed non sufficiebat civitatis Ordinibus, contuberniis in posterum nulla privilegia, juri publico & statui civitatis contraria datum iri, sed simul petebant, ut jam data abolerentur. Neque videbant causam, cur Rex rescissum cum braseatoribus contractum ad comitia rejiceret, quod ne fieret, rogabant & obtestabantur. Rex vero non mutabat suam responsionem, nisi quod legitima contuberniorum privilegia servare, & contractum, in quantum ad tranquillitatem & concordiam obtinendam, initus fuerit, confirmare, secus contractum illum cum reliquis commissionis negotiis, ad comitia remittere vellet. Contra Ordines non cessabant petere, ut nova contuberniorum privilegia tollerentur, & transactio cum

cum braseatoribus perpetuo observari juberetur, neque ad comitia rejiceretur. *Declar. Ord. plag. Bb. p. 2. pl. Gg. p. 1. Ll. p. 6. pl. Oo. p. 3. pl. Rr. p. 5.* Cum, annis aliquot interjectis, rursus de privilegiis contuberniorum & collegiorum, in aula ageretur, declarabat Rex: „ejusmodi privilegia contra publicam utilitatem „minime danda, & si quæ data, nullam iis juris auctoritatem tri-„buendam, litem vero de lanionum braseatorumque privilegiis, „cum citationes jam editæ sint, cognita causa, per decretum finien-„dam esse. Senatui de collegiorum corporumque statutis, ex „communi utilitate civitatisque rationibus, statuendi jus benigne „permitti, ita tamen, ut si qua in re gravatum se quis existimarit, „ad Regiam Majestatem provocare integrum eidem esset„: quam in fine additam exceptionem, civitatis internuntii omitti petebant, cum nunquam in usu fuerit, & tranquillitatem plurimum turbatura esset. „Leges enim contuberniis dari, ad societates eorum „conservandas & in officio retinendas, idque cum illorum con-„sensu, sæpius etiam pro temporum & rerum varietate mutari, „prout id civitati & ipsis contuberniis expedire videretur, eam-„que potestatem ab ipsa fundatione penes civitatem fuisse„. Quare Rex exceptionem illam omittebat, modo statuta collegiorum, salva fide Regiæ Majestati debita, fierent. Addebat civitas: se confidere, Regiam Majestatem per lanionum & braseatorum causam & privata illorum indulta, nihil publicis civitatis juribus, privilegiis, & receptis consuetudinibus derogari passuram. Tandem Rex contuberniis ac cæteris collegiis privatim privilegia dari vetuit, lanionum & braseatorum privilegiis privatim obtentis, silentio transmissis. Factum tamen, ut Serenissimi Stephani Successores, contuberniis & collegiis ad ipsorum preces, tum privilegia nova darent, dum data olim, confirmarent, tum in nonnullis mutarent, de quo quando Senatus certior redditus, suum jus Serenissimis Regibus submississime exposuit, & quod, nisi a se, contuberniis & collegiis privilegia & statuta petere liceret, demonstravit. Quando vero placuit, nihil ad Regem referre, Senatus ejusmodi privilegia, civitatis & eorum, quorum interesset, juribus salvis, recepit. Nuper, a. 1752 Rex in illustratione artic. §. XXII.

§. XXII. tic. 75. ordinationes Suæ, Senatus jus confirmavit, mandans illi, „lanificibus & capillamentariis in formam contubernii redigendis, „ſtatuta providere, integra manente Magiſtratus, in concedendis „& ſcribendis ſtatutis ad mentem privilegiorum, poteſtate.

N4) Cum civitas precibus ſuis efficere non poſſet, ut Stephanus verbis expreſſis braſeatorum & lanionum privilegia tolleret, obtinuit tamen, ut id tacite fieret, privilegiis privatim datis omni juris auctoritate abrogata.

O4) Nihil poteſt contra fidem Sereniſſimis Regibus debitam, ſtatutis contuberniorum & collegiorum inſeri, quia contubernales & collegiorum ſodales, quando cives fiunt, Regi fidem jurant.

P4) Non ergo largitus hanc poteſtatem Stephanus, ſed quam a majoribus ſuis habuerat, Senatui reliquit, & quidem integram, quam imminuerat Sigismundus Auguſtus, etiam Sibi vindicando poteſtatem, dandi contuberniis & collegiis privilegia. Hæc Senatus privilegia, per ſe ſatis firma ſunt, ut Regia confirmatione opus haud ſit. Cum etiam ſtatuta contuberniorum & collegiorum, ad civitatis rationes & communem utilitatem componenda ſint, ſequitur, eſſe mutanda, quoties & civitatis rationes & communis utilitas exigat, ut etiam ex his cauſis, ipſa contubernia & collegia mutationem a Senatu petere deberent, ſi Senatus in civitatis rationes & communem utilitatem minus intentus eſſet.

§. XXIII.

Moratoriæ litteræ a Rege illis dandæ, qui Ipſi a Magiſtratu commendati fuerint.

Moratorias etiam litteras, civium incolarumve aut inquilinorum civitatis, quive domicilium & continuam manſionem, negotiationes cum civibus exercendi cauſa, ibi habuerint, nemini dabimus, Succeſſoresve Noſtri dabunt Q4), niſi qui fortunæ adverſæ caſu bona amiſerint, & de amiſſis teſtimonium a Senatu habuerint, eoque nomine commendati fuerint R4). §. XXIII.

Q4) Dantur litteræ moratoriæ mercatoribus, qui ſolvendo ſe impares profeſſi, foro ceſſerunt, quosque *bancirruptores* appellamus, quibus per moratorias mora indulgetur, ut cum creditoribus ſuis tranſigere queant. Datæ ſunt illo tempore a ſolo Rege, ſed queſti antea Gedanenſes, „quod paſſim darentur, nul„la perſonarum contemplatione, quis in fraudem creditorum eas „petat, quis vel ſua culpa rem decoxerit, vel fortunæ, maris aut „ventorum injuria, facultatibus lapſus fuerit, quod certe prius in„quiri deberet, cum id per ſe juris manifeſti eſſet, etiam ſpecia„libus Divorum Regum Anteceſſorum Reſcriptis declararetur„. Reſponderat tum Stephanus: „Se nemini civium litteras morato„rias daturum, niſi qui fortunæ adverſæ caſu, bona amiſerint, & „de amisſis teſtimonium a Senatu habuerint, eoque nomine com„mendanti fuerint„: pro qua declaratione, civitatis Ordines magnas agebant gratias. *Declar. Ord. plag. Gg. p. 1. 2. plag. Rr. p. 5.* Quia tamen Rex tantum civium meminerat, exponebant poſtea Ordines, plurimos eſſe civitatis incolas, qui quidem civium numero non cenſeantur, domicilium autem habeant, & continuum hoſpitium, ac cum civibus varias negotiationes exerceant, ne ergo cives deterioris, quam illi eſſent conditionis, petebant, Regis declarationem etiam ad incolas & ejus generis hoſpites extendi. Quare in Tractatibus, præter cives, pariter incolarum inquilinorumve, ac domicilium & continuam manſionem, negotiationis cum civibus exercendæ cauſa habentium, mentio facta eſt. Nec ſine ratione de incolis & inquilinis dicitur, quod cum civibus negotiatio-

§. XXIII. gotiationes exerceant, quia eas cum peregrinis ſeu non civibus exercere haud licet.

R4) Jam a. 1552 Sigismundum Auguſtum cives petierant, ne cuiquam litteræ moratoriæ darentur, niſi teſtimonium habuerit a Senatu & Scabinis, quod vel naufragium fecerit, vel aliqua alia fortunæ iniquitate facultatibus ſuis lapſus ſit, & ut is nihilominus fidejuſſoriam cautionem præſtaret. Ad quæ Rex reſpondebat: Se Sibi dandarum litterarum facultatem relinquere. *Karnk. jus provinc. terr. Pruſſ. plag. E. p. 7. petit.* 22. Verum a. 1558 idem Rex declaravit, velle Se, ut obtenturus moratorias, per fidejuſſores caveat de debito, finito moratoriarum tempore, integre ſolvendo, niſi id Rex remiſerit; porro ut is a civitatis Senatu teſtimonium habeat, quod non culpa, ſed fortunæ adverſitate ad egeſtatem redactus ſit; & ſi quis ſine ejusmodi teſtimonio moratorias impetraſſet, ne prius illis utatur, quam Senatus ejus cauſam expoſuerit, qui ſi in cognoscenda cauſa non juſtas rationes admiſerit, debitori ad Regem appellare liceat. Quod de cautione fidejuſſorum Sigismundus Auguſtus præcepit, videtur uſu non obtinuiſſe, cum neque Gedanenſes, neque Rex Stephanus, cum Senatus teſtimonium de amiſſis fortunæ adverſæ caſu bonis exigeret, ejus mentionem fecerit. Reliqua vero, quæ in Tractatibus portorii de moratoriis repetuntur, Auguſtus III. in ſua Ordinatione art. 31. probavit, vetans ſimul, ab alio quam Ipſo Rege moratorias peti & dari: quo abrogavit morem poſt Stephanum, Sigismundo III. regnante inductum, ut etiam Præſes Senatus litteras daret, cui jam id relictum, ut moratorias a Rege petiturum, in tutelam gratis recipiat, donec easdem ex Regni Cancellaria impetrare queat. Antequam autem de banciruptore Senatus teſtimonium perhibeat, per duos ſui Ordinis, rationes debitorum ac creditorum excutit, libros mercatorios luſtrat, & in alia quæ ſcire ejus intereſt, diligenter inquirit, quorum relatione audita, Regi banciruptor litteris commendatur, ut moratoriis habeatur dignus. Antea ejus bonis, quæ ſuperſunt, curatores præponuntur, ne in fraudem creditorum diſſipentur, quod in ordinatione civitatis

adverſus banciruptores a. 1731 ſancitum, a Rege Auguſto III, §. XXIII. in illuſtratione citati articuli ordinationis Suæ approbatum eſt. Non tamen deſunt exempla moratoriarum, ſine commendatione Senatus, conceſſarum, quod a. 1713. 1735 & 1757 factum. Sed tum Senatus, ad portorii Tractatus provocans, Regi expoſuit, moratorias illas auctoritate deſtitui, quod alio modo, ac fas ſit, obtentæ. Spatium, quo moratoriæ circumſcribantur, Stephanus ſiluit, ſed jam ante Ipſum, Sigismundus Auguſtus a. 1570 declaraverat, moratorias in annum unum petendas eſſe, neque ſupra annum banciruptoribus ſervire: quod uſu viget, oratque Regem in commendatione banciruptoris Senatus, moratorias in annum unum, quo finito, moratoriæ exſpirarunt. A. 1760 banciruptor ad aulam profugus, obtinuerat pro moratoriis, litteras Regias *protectionales*, quales datæ fuerant nunquam: quare Senatus, cum ad ipſum Varſavia eſſent miſſæ, Regi ſubmisſiſſime expoſuit, eſſe has litteras plane inſolitas, & novi generis: banciruptoribus inſervire moratorias, quæ quomodo petendæ ſint, portorii tractatus deſcribere. Hinc optimus Princeps, litteras ſuas *protectionales* irritas eſſe voluit, ne quid novi contra leges & morem adhuc receptum, nec non contra Magiſtratus auctoritatem, ac novisſimam ordinationem Regiam induceretur.

§. XXIV.

Libera ſalis transmarini intra Pruſſiam ſubvectio.

Ad transmarini ſalis in Pruſſiam ſubvectionem S4) quod attinet, uti jura Pruſſiæ in ſuo ſtatu permanere, & ſalva eſſe volumus, ita civitatem quoque Noſtram Gedanenſem, in iisdem juribus, & libera ſalis ſubvectione intra Pruſſiam, uti antiquitus

§. XXIV. quitus fieri consuevit, absque aliquibus novis exactionibus, integre conservabimus, & Successores Nostri conservabunt T4).

S4) Dicitur transmarinum sal, quod ex regionibus trans mare sitis, Lusitania, Hispania, Gallia, Anglia, Scotia & ipsa Germania mari in Prussiam vehitur. Multum olim faciebat ejus subvectio ad commercii florem, nam quo major ejus copia importabatur, eo plus mercium domesticarum exportabatur, facili harum cum sale permutatione, aut venditione, si, qui illas emerent, salem suum justo pretio vendidissent. Inde etiam fervebat navigatio, suppetente, quo naves onerari possent. Usus hujus salis non intra Prussiæ fines, ut hodie, continebatur, verum etiam in Poloniam Lituaniamque mittebatur, cum per vetera pacta libera essent commercia, nec minus Prussis, per privilegium incorporationis concessum, cum mercibus cujuscunque generis, in quæcunque loca, civitates & oppida Regni & reliquarum terrarum venire, eas ibidem deponere & venales habere. Sed jam Casimirus III. qui Prussos per deditionem in fidem recepit, sal transmarinum in Poloniam invehi vetuit, quia per ejus usum, reditus Regii ex salisfodinis minuerentur; quod patris sui interdictum, filius Joannes Albertus a. 1496 repetiit. Sigismundus I. a. 1510 mandavit omnibus Capitaneis, „quatenus debitum officii sui exerceant in prohibendo peregrino & extraneo sale, quodcunque „veheretur ad ea loca, ubi usus salis Cracoviensis esse consuevit, „sub poenis in Capitaneos constitutis„. Idem Sigismundus I. a. 1520 interdixit „usum salis extranei cujuscunque, quod per „mare adduci soleret, in locis universis terrarum majoris Poloniæ, „in quibus ex antiqua consuetudine uti soliti fuissent„. Publicari autem hoc suum edictum Rex jussit, sex septimanis antequam usus salis extranei cessaret, ut illud interea omnes venderent, nec eo amplius uterentur, a die publicationis post sex hebdomades, neque illud in Regnum inveherent, sub amissione bonorum omnium & mercium, & ne quisquam eo uti auderet sub poena 14 marcarum, per eos, apud quos repertum fuerit, solvendarum. Sigismundus tamen Augustus a. 1550 permisit, ut in scaphis, quæ Gedano reverterentur, ad usum nautarum seu eorum familiæ, tunna seu dolium salis in quamlibet scapham reciperetur. *Herb. Stat. tit. Sal.*

§. XXIV.

T4) Vetita in Poloniam salis transmarini invectione, non solum jacturam fecit maritimum commercium, ac negotiatio salis minus fructuosa reddita, verum etiam in ipsa Prussia, a custodibus Polonis sal transmarinum interceptum est, solo obtentu ne clam in Poloniam veheretur. In primis de Capitaneo Tucholiensi sæpe questi Prussiæ Consiliarii, quod sal antequam ad fines Prussiæ devectum fuerit, passim omnibus adimeret. Addebant a. 1528: „quo crebiores ad aures Regias quærimoniæ deferrentur, „eo Capitaneum illum insolescere audacius„. Proinde rogabant diligenter: „ut Regia Majestas pro Sua æquitate hujusmodi teme„ritatem jam tandem cohibere dignaretur, ne pauperum & inno„centum lachrymæ divinam super se ultionem inducerent„. *Hist. Pruss. I. Doc. p. 53.* Nec vanæ fuerunt Consiliariorum preces, Rex enim quod ab *officialibus* suis Tucholiensibus factum, iniquum habens, in constitutionibus Terrarum Prussiæ § *ex quo etiam* „sub gravi sua indignatione prohibebat, ne cuiquam nisi ultra „fines transgresso, sal adimeretur„. Sigismundus Augustus Prussiæ civitatibus, præsertim Thorunensi & Gedanensi mandavit, ne permitterent naves Polonas transmarino sale onerari, ut Bidgostiam & ulterius in Regnum veheretur. *Hist. Pr. II. doc. p. 88.* Sed a. 1567 sal transmarinum in Vistula detinebatur, ut qui navibus præpositi jurarent, sal non ultra Thorunum vectum iri: quod tamen fieri Rex vetabat, libere per Prussiam sal vehi jubens. *Hist. Pruss. II. 356.* Regnante Stephano vectigalis ad album montem exactor, sal transmarinum adverso Vistula impediebat, & post frequentes preces, liberam salis navigationem permittebat, si quilibet juraret: se sal in suos tantum usus emisse, non vero ut in Poloniam veheret. *Hist. Pruss. III. 427.* Agebant deinde cum Rege Gedanenses de libera transmarini salis per Prussiam vectura, in quo

§. XXIV. in quo Se Rex satis facilem præbebat, si modo vitaretur fraus, qua in detrimentum Polonicarum & Russicarum salinarum, sal illud per Regnum diffunderetur. Sed civitas fraudem quæ objiciebatur, ad se, & jura sua, nihil pertinere credens, liberam salis per Prussiam subvectionem, qualis antiquitus fuisset, petebat, absque novis exactionibus vel impositionibus. Ad quod Rex respondebat: sal non ademtum iri, nisi ultra fines in Poloniam e Prussia transiisset: ac secutum Rescriptum Regium, ad salinarum Regiarum præfectum & vectigalis ad montem album exactorem, „ut, cum „juxta constitutiones Terrarum Prussiæ, ubique transmarini salis „intra Prussiam usus esse debeat, & multorum querelis relatum „sit, ad montem album, ob prohibitam importationem salis ejus „in Poloniam, multis modis usum eum inhiberi, velle Regem, ut „jura Prussiæ in suo statu permaneant, & ne salis transmarini ne„gotiatio a quoquam deinceps intra Prussiam impediatur, custo„dia vero ea, quæ ad montem album ac aliis in locis nuper fuerit, „ad fines ipsos & loca in iis posita, juxta statuta & superioris tem„poris consuetudinem transferatur, ibique in eos, qui transvehen„dis ultra fines salibus, in edictum committant, animadvertatur„. *Hist. Pruss. III. doc. p. 135.* Addidit in portorii Tractatibus Stephanus, ut sal transmarinum exactionibus & impositionibus immune esset, ne publicani Poloni, ex sale illo, vectigalis aut alio titulo pecuniam exigerent, aut ei imponerent. Nihilominus regnante post Stephanum Sigismundo III. tum Prussiæ Ordines, tum Thorunum, Gedanum ac civitates aliæ sæpe questæ, publicanos & salis Poloni præfectos, subvectum Gedano transmarinum sal, ad album montem, Fordanum, Dubaviam & alibi detinere, pecuniam ex illo exigere, & veluti mercem prohibitam fisco addicere, mandatis Regiis adversus eos parum proficientibus. Neque Vladislai IV & Successorum regna ejusmodi querelis caruerunt, quibus auctoritate Regia & suis decretis finem statuere Prussi conabantur. A. 1660 cum subesset metus, ne salis transmarini intra Prussiæ terras libera divendendi, ullo modo, seu exactionis indebitæ prætextu, præcideretur facultas, Nuntiis hoc negotium in comitiis ita commendabatur, „ut juribus tam Terrarum ge„neralibus, quam civitatum peculiaribus privilegiis, per omnia „inconcussa indemnitas, civitatibusque intra has terras cum eo „commercandi antiqua maneret libertas„. *Hist. Pruss. VII. Doc. p. 140.* Ad Nobilitatis Sluchoviensis querelas, salem transmarinum, licet nondum finibus Regni appropinquantem, in oppido Fridlandensi innocentibus adimi, Ordines salem fines terrarum Prussiæ non egressum intercipi, a. 1671 vetabant, & si alicui eo nomine vis facta fuerit, id publica terrarum Prussiæ auctoritate vindicatum iri promittebant. A. 1682 novæ ad Ordines deferebantur querimoniæ, aliquos *Officiales* invectionem salis transmarini in terras Prussiæ impedire, imo eundem adimere velle, quod Ordines maxime iniquum & libertatibus ac constitutionibus hujus provinciæ repugnare existimantes, & libertatem hanc integram & illibatam esse cupientes, auctoritate conventus sui generalis edicebant, „ne quisquam in posterum invectioni & consumtioni „salis transmarini obesse auderet„. Sequenti tamen anno, Rex ad augendos suos ex salisfodinis reditus, Prussis usum salis Poloni ita commendabat, ut transmarino plane abstinerent. Sed Nuntiis mandabatur, liberam salis transmarini in terras Prussiæ invectionem in comitiis tueri. Nec minus frustra eorum erant conatus, qui a. 1718 in aula agitabant, invectionem salis transmarini in Prussiam interdici, & Gedanenses ejus commercio privare. Contra injungebant a. 1730 suis Nuntiis Prussi, providere in comitiis, „ut invectio salis Wieliccensis & Samboriensis in ma„gnum Ducatum Lituaniæ, absque inhibitione liberæ invectionis „salis transmarini in Lituaniam fieret, & ne a Rege Prussiæ civi„tas Elbingensis, in salis transmarini libera invectione impedi„retur„. *Hist. Pruss. VIII. 53. 220 - 222. Doc. p. 37. IX. Doc. p. 62.*

§. XXV.

§. XXV.

Curſus Viſtulæ in antiquam conditionem reſtituendus.

Quia etiam Viſtulæ fluminis curſum, nonnullis in locis averti civitas queſta fuit, ne quocunque prætextu is derivetur, aut quid in eo fiat, quo deterior, quam antehac fuerit, navigatio fiat, ſtatuimus prohibemusque U 4): ac ſi quid antehac turbatum fuerit, in priſtinam cauſam omnia reſtituemus, & reſtitui faciemus V 4).

U 4) Viſtulæ curſus a civitate Gedanenſi averti coepit, foſſa, regnante Sigismundo Auguſto, ex Viſtula in Nogatum, ad montem album & Muntavum ducta, per quam major vis aquæ in Nogatum derivata eſt, ut curſus Viſtulæ Gedanum verſus, languidior, & navigatio redderetur difficilior, portusque Gedanenſis, Viſtula arenam quam mare in portum exonerat, ſua rapiditate, ut antea, non ſubmovente, minus profundus evaderet. In conventu Thorunenſi a 1581 eadem civitas Thorunenſis, reliquis Conſiliariis exponebat ultimum diſcrimen, quod navigationi Gedanum & Regimontum verſus, tum utrique inſulæ trans Nogatum, ex inundationibus immineret, ſi omnis ex Viſtula aqua ſe per foſſam illam, in Nogatum effunderet, & aggeres Nogati, continendo aucto nimis flumini impares, perrumperentur. Addebant Gedanenſes, poſſe hanc calamitatem poſt annum unum contingere. Quare Conſiliarii, Palatino Pomeraniæ, Caſtellano Elbingenſi & majoribus civitatibus, committebant, ut locum illum, unde tantum periculum, coram inſpicerent: qui metum haud eſſe vanum deprehendebant, foſſa initio quatuor, jam duodecim

decim imo ſedecim perticas lata, & ex quatuor pedibus quatuordecim profunda, & inde longe majorem copiam aquæ ex Viſtula recipiente, quam fluvius ille retineret, ad curſum ſuum in mare continuandum, ut inde profundum portus Gedanenſis, ex ulnis novem ad quinque redactum eſſet. Sed quaſi ſola inſpectio ſufficeret, de remedio adverſus malum non cogitabatur. *Hiſt. Pruſſ. III. 413.* Hinc Gedanenſes, cum de portorio agerent, petebant: „ut Rex non tanquam ex quarumvis partium controverſia, „id enim nimis longum & perplexum foret, ſed ex motu ſuo „proprio, ex Regio munere & auctoritate, utpote quod ea res to„tius Regni & Terrarum Pruſſiæ utilitatem & dignitatem concer„neret, quo fluvius in omnem neceſſitatis caſum Regno integer „conſervaretur, neve in flumine publico quid aliorum facto com„mitteretur, quo deterior nunc quam antiquitus eſſet navigatio; „Commiſſarios ſuos primo quoque tempore deſignare dignaretur, „qui intelligerent, quanti totius Regni intereſſet, fluminis pro„funditatem in ſuo veteri ſtatu retineri, quique in re præſenti co„gnoſcerent, & ſi quid turbatum fuerit, in priſtinam cauſam „omnia reſtituerent. Animadvertere enim civitatis Ordines haud „obſcure, non ſolum ex parte Illuſtris Ducis Pruſſiæ iſthanc flumi„nis derivationem, ad portum Regiomontanum ſenſim juvandum „maxime promoveri, ſed nonnullos etiam Majeſtatis Regiæ ſub„ditos, pro qualicunque ſuo emolumento, fluvium variis foſſio„nibus magis ac magis ad ſe vertere, adeo ut niſi Ipſa Regia Ma„jeſtas animum hanc ad rem ſerio adjecerit, brevi futurum eſſet, „ut vacua vix navigia, nedum mercibus onuſta, ex Regno Geda„num usque defluere potuerint, & totus denique fluvius in lacum „Habum & Nogatum exoneraretur, pariterque transvectio mer„cium ex Litvania & verſus Litvaniam penitus præcideretur„.

V 4) Finitis tractatibus portorii, Rex precibus Gedanenſium annuens, a. 1584 Palatinum Pomeraniæ & alios delegit Commiſſarios, qui foſſam luſtrarent, & auditis rationibus eorum, qui de illa contenderent, Viſtulæ navigationem in priſtinum ſtatum reſtituerent. Aderant a Rege vocati Ducis Pruſſiæ legati, & civi-

§.XXV. tatum Elbingensis, Gedanensis, Mariæburgensis, Varsaviensis & Brombergensis internuntii, ex quibus Ducis Prussiæ legati statim abierunt, quia in modo quo Commissarii Regii negotium aggredi volebant, dissentiebant, Varsaviensibus & Brombergensibus satis erat, si portus Gedanensis digna haberetur ratio, inter Elbingenses, quibus se Mariæburgenses junxerant, & Gedanenses erat contentio, illis fossam tuentibus, Gedanensibus ut fossa expleta, facilis navigatio quæ fuit olim, Vistulæ redderetur, petentibus. Commissarii compositione frustra tentata, mediam viam eligentes decernebant, fossæ latitudinem ad quatuor perticas redigendam, ejusque orificium utriusque partis sumtibus constringendum esse, insulam vero inter Vistulam & fossam, contra aquæ vim, palis & aggeribus Gedanensium impensis muniendam esse. A qua sententia Elbingenses & Mariæburgenses, ne fossa angustior redderetur, Gedanenses contra sibi impositos sumtus, ad Regem appellabant. Rex in judicio relationum, decreto Commissariorum approbato, hoc addidit: „ut Commissarii iterum ad „fossam se conferrent, & quoniam insula palis muniri sine magnis „sumtibus non posset, civitates Elbingensis & Gedanensis viros „idoneos & ejus rei peritos conquirerent, qui coram Commissa-„riis deliberarent, num potius machinis aliquibus vel ædificiis ex „aggeribus prominentibus, cursus fluminis coarctari posset, ut „major fluminis pars Gedanum demitteretur, Nogato navigabili „permanente. Si vero tales viri haberi, vel commoda ratio ad „reparandum & muniendum, reperiri haud potuerint, ut demum „ex præscripto decreti Commissorialis munitio fieret„. *Hist. Pruss. III. 438. 439. Doc. p. 157.* Aderant a. 1586 Commissarii ad fossam, & opus, quo ad quatuor perticas fossæ latitudo redigeretur, inter Elbingenses & Gedanenses partiebantur, quod perficere cum Gedanenses promti essent, Elbingenses recusarent, Stephanus dum viveret, Vistulam in antiquum statum, seu causam, ut Ipse vocat, restituere haud potuit. *Hist. Pruss. III. 470. 471.* Sic quod Stephanus non præstitit, Serenissimis Successoribus relinquebatur, Qui tum ad Prussorum, tum Elbingensium, Gedanensium aliorumque preces, negotium hoc non neglexerunt. Inde consilia de idoneis remediis, Commissiones ad inspiciendam fossam & Vistulæ ad Muntavam conditionem, pecuniæ in structuras collatæ, & structuræ susceptæ: quæ singula recensere longum foret, & forsan sine tædio non legerentur, possunt tamen in historia Prussica passim legi. Quicquid autem adversus mala, quæ jam Stephani tempore Gedanenses senserant aut metuerant, tentatum, minus successit, perruptis enim Nogati aggeribus, insulæ trans hunc fluvium sæpe inundatæ, navigatio Gedanum versus, aquæ penuria frequenter interrupta, & portus Gedanensis ægre & aliquot millionum impendio a civitate servatus, superestque metus non vanus, cessaturam in Vistula navigationem, nisi alio modo, quam adhuc, subveniatur. §. XXV.

§. XXVI.

Ne peregrini in pagis, villis & civitatibus commercia exerceant.

Cum etiam mercatores, & præsertim peregrinos, in Nobilitatis ac civitatum injuriam, pelles, frumenta, humulum, ceram, linum, & alia mercium genera, in villis ac pagis emere, vendereve & opificia ac negotiationes illicitas, contra publicas terrarum Prussiæ constitutiones, exercere solere intellexerimus X4), firmiter posthac, ne id de cætero fiat, prohibemus, statuentes, ut nemo posthac peregrinorum, contra jura, privilegia & consuetudines terrarum Prussiæ, ulla in civitate locove alio negotia exerceat Y4).

§. XXVI. X4) Questi antea civitatis Ordines de Schotlandia, Episcopi Cujaviensis, prope Gedanum, pago, ut possit pro suburbio haberi: „quod ibidem civilia commercia & omnis generis „opificum artificia tractata, usurpata, & exercita, contra terra-„rum libertates publicas, & expressum civitatis privilegium, in „damnum multorum mercatorum civium, & plerorumque con-„tuberniorum perniciem„. Et cum Rex respondisset: „spectare „id ad aliorum privilegia, propterea absente una parte decerni „quicquam non posse, servari tamen debere, si quid privilegiis „& usu bono approbatum„. Ordines contra: „nihil manifestius „esse, quam civitatis privilegium, per quod nulla civitas, neque „arx intra quinque milliaria circumcirca deberet ædificari, erigi „aut renovari perpetuis futuris temporibus; item terrarum Prus-„siæ constitutiones, quæ vellent, res venales in urbibus & per „consequens non in suburbiis, villis aut pagis, distrahi debere„. Sed Rex priorem responsionem non mutans, *præjudicialia* ad judicia remittebat. *Declar. Ord. plag. Gg. p. 4. pl. Mm p. 1. pl. Oo. p. 4.* Postea, cum de portorio ageretur, Rex civitati proponebat, ut vel jure cum Episcopo ageret, vel cum eo de permutanda Schotlandia aut alio modo transigeret, in quo Rex Suam civitati curam pollicebatur, ac Se Episcopum moniturum, ut ad æquitatis rationem se adduci patiatur. Ad quæ civitatis Ordines: „nihil se in Episcopi præjudicium, causa non cognita, cupere, pu-„tare se tamen, ad superioritatem Regiæ Majestatis pertinere, ut „uniuscujusque privilegia sarta tecta sint, in primis vero ut con-„stitutiones publicæ terrarum inviolatæ ab omnibus observentur: „iis enim prohiberi, ne mercatores & præsertim peregrini, in No-„bilitatis & civitatum injuriam, quævis mercium genera in villis „ac pagis, clam & publice coëmere, & negotiationes illicitas exer-„cere debeant. Divum quidem Antecessorem, in responsis suis ad „petitiones civium Gedanensium promulgatis, censuisse, ut Epi-„scopus privilegium, quod in contrarium prætenderet, exhibe-„ret, id vero hactenus exhibitum non fuisse. Interim cum gra-„vissimo civitatis præjudicio ac detrimento, opificia & negotiatio-„nes eo loci, quasi nova quæpiam civitas esset, exerceri non de-„siisse, idque magis ac magis in dies progredi, eo plane postha-„bito, quod Divi Casimiri privilegium disponeret, ne intra quin-„que milliaria germanica circumcirca civitatem perpetuis tempori-„bus, ulla arx vel civitas construi, ædificari vel renovari deberet. „Accedere huc, quod ejus pagi incolæ, merces ex navibus in flu-„mine infra civitatem stationem habentibus, clam & noctu ple-„rumque, non exiguo numero ad se aveherent, eoque modo ci-„vitatis portorium interverterent. Taceri, omnis generis sordes, „mortua etiam pecora, in profluentem passim projici, ejus flumi-„nis aqua deinceps omnes ferme puteos & canales civitatis imple-„ri, unde majorem aliquando pestem vel contagionem, quam „ex quovis aëris infecti vitio civitatem invadere posse. Quibus „ex rebus omnibus, quamvis gravissimæ essent causæ, jus civita-„tis strictius exequendi, tamen quoniam per se difficile esset, cum „Episcopo jure contendere, ac ipsius potius gratiam & favorem „Ordines non inutilem civitati existimarent, nunc quidem a ju-„re supersedere & compositiones tentare malle, ideo præsertim, „quod Regia Majestas ea in re civitati curam clementissime polli-„ceretur, ad Episcopum movendum, ut ad æquitatis rationem „eo libentius se adduci pateretur: jure interim civitatis, si æquum „obtineri non potuerit, undequaque salvo„. Nulla ergo in Tractatibus Schotlandiæ fit mentio, sed citantur constitutiones terrarum Prussiæ, quæ § *cum etiam mercatores* „merces in villis ac pa-„gis, a mercatoribus præsertim peregrinis, sive exoticis homini-„bus, clam & publice coëmi, ac negotiationes illicitas exerceri „prohibent, statuentes ut deinceps *subditi*, dominorum merces „& res suas vendibiles, in civitates juxta veterem consuetudinem „ducant, & in foro publico venales exhibeant, legitima tamen „dominorum suorum cum pellibus ferarum & bestiolarum silve-„strium habita ratione, alioqui emtoribus equos & currus, vendi-„toribus autem res venditas a Præfectis Regiis adimendas & con-„fiscandas esse„. Addit Rex opificia, cum constitutiones de solis negotiationibus loquantur, idque factum propter Schottlandiam videtur, quia de opificiis, quæ ibi exercebantur, Gedanenses questi erant.

§. XXVI. Y4) Tractatibus portorii confectis, die 9 Febr. 1584 Rex ad Pruſſos, qui in terris jurisdictionem exercebant, & in civitatibus magiſtratum gerebant, reſcribebat: „ut privilegiis quibus„cunque, ſi quæ forte contra jus publicum ac priſca civitatis (ſci„licet Gedanenſis) ac terrarum Pruſſiæ jura & privilegia emanarint, „non obſtantibus, nemo poſthac peregrinorum contra jura & pri„vilegia terrarum Pruſſiæ, ulla in civitate locove alio, negotia „exerceret, ſub pœna in conſtitutionibus terrarum Pruſſiæ expres„ſa„: addito ad omnes & ſingulos, præſertim Magiſtratus, ſerio mandato, ne ſuam hac in re auctoritatem atque officium, quoties requiſiti fuerint, deſiderari paterentur. *Hiſt. Pruſſ. III. doc. p. 144.* Hoc reſcriptum in conventu ordinario Mariæburgenſi, a. 1584 Conſiliariis Gedanenſes exhibebant, ut publicaretur, rogantes; quod in foro a ſcriba Palatini Pomeraniæ & *miniſteriali* fiebat, Elbingenſibus voce & ſcripto fruſtra contradicentibus, quia metuebant, ne ſocietatis mercatorum Anglorum, quæ Elbingæ ſedem fixerat, & de qua ad ſequentem § agetur, negotiatio reſcripto illo impediretur. *Hiſt. Pruſſ. III. 436.* Jam ſub Ordine Teutonico a. 1434 Nobilitas & civitates, in Elbingenſi conventu ſanxerant, ne frumentum & aliæ merces in pagis coëmerentur, ſed ut in foris civitatum venales eſſent. Et a 1439 ad Ordinis ſupremum Magiſtrum deferebatur querela, quod contra leges, peregrinis in pagis & civitatibus, promiſcue negotiationem exercere permitteretur. *Schütz hiſt. Pruſſ. f. 124. p. 1. f. 133. p. 2.*

§. XXVII.

Ne privilegia exercendorum commerciorum, contra jura dentur, & data pro irritis habeantur.

Neque etiam in contrarium, ulli exercendorum commerciorum privilegium aut jus tribuemus, Succeſſoresve Noſtri tribuent Z4): Si quæ etiam contra jus publicum ac priſca civitatis ac terrarum Pruſſiæ jura privilegiaque, in contrarium emanarint, ea præſentibus hiſce irrita abrogataque eſſe volumus A5). §.XXVII.

Z4) Proximo § vetuit Rex, quemquam peregrinorum, contra jura, privilegia & conſuetudines terrarum Pruſſiæ, ullo in loco negotiationem exercere. Præſenti pergit, Se & Succeſſores, in contrarium nulli exercendorum commerciorum privilegium aut jus daturos eſſe: quod jam Caſimirus Gedanenſibus in privilegio ipſorum generali ſeu præcipuo (Haupt-Privilegio) promiſerat, ſcilicet, neminem extraneorum privilegium negotiandi habiturum; ac Stephanus repetit, utque non pro ſola ſua civitate, ſed pro univerſa Pruſſia repeteret, Gedanenſes oraverant: moti, quod Elbingenſes, inſtituta apud ſe ſocietate mercatorum Anglorum, non ſolum Anglis, ſed etiam aliis peregrinis, cum peregrinis negotiandi libertatem conceſſerant. Exponebant enim Regi Gedanenſes: „illud unum civitatem ſuam maximo incommodo affice„re, quod & Anglis & ceteris extraneis, Elbingæ libertas concede„retur, cum exteris peregrinis negotiandi & commercandi, id„que contra publicas terrarum Pruſſiæ libertates introduci: An„tiquitus enim & more majorum, incolis ſaltem terrarum & ci„vitatum, cum exteris licuiſſe contrahere & mercimonia exercere; „atque hanc ipſam liberæ negotiationis facultatem, iisdem Anglis „etiam Ordinis tempore, non ſemel publice fuiſſe interdictam. „Hoc jus, quod in Pruſſia publicum eſſet, & ad omnes civitates „æque & conjunctim pertineret, quamquam Elbingenſes ſua pri„vata auctoritate, non potuerint neque poſſent, in publicum præ„judicium quidquam conſtituere, ea tamen privata conceſſione „non modo plane ſubverti, verum etiam totius negotiationis fru„ctum & uſum a civibus & incolis, cum domeſtico incommodo „maximo, ad extraneos transferri, qui hoc modo rem familia„rem

§.XXVII. „rem civibus & incolis plane præriperent. Idque incommodum „etiam ad publicos portorii proventus redundare„. Jam metuebant Gedanenses, ne Rex mercatoriam Anglorum societatem Elbingæ, & commercia eorum cum quibusvis, privilegio aliquo confirmaret, quem metum Rex exemturus, asseverabat, nullam adhuc a societate Elbingensi propositarum conditionum a Se confirmatam, neque totum hoc negotium ulterius progressum esse, quam quod Angliæ Regina, aliquem cum idoneis mandatis mittere velit, qui de stabili perpetuaque ejus negotii ratione agat. Tractatibus portorii nondum finitis, veniebant mense Januario a. 1584 Grodnam ad Regem, legatus Reginæ Angliæ, societatis Anglicæ Præfectus seu Magister, ac Præconsul & Consul Elbingensis, ut conventionem triginta tribus capitibus constantem, quam Elbingenses cum societate, Regis nomine, Rege tamen inscio inierant, confirmaret. Rex ut de tota causa edoceretur, nominabat Commissarios, qui tractatibus portorii jam confectis, mense Julio dicti anni, Elbingam veniebant, ubi & Gedanensium internuntii aderant, qui non solum societatem illam juribus adversam, sed etiam perniciosam demonstrabant, ac simul conventionem Elbingensium cum Anglis confutabant; Commissarii autem nihil decernentes, negotium integrum ad Regem referebant. Regis declarationem audituri, Anglicus legatus, & Elbingensium ac Gedanensium internuntii Lublinum proficiscebantur, ubi Rex novos Commissarios legebat, qui negotium hoc a se expensum ad Regem, Rex ad Senatum in comitiis remittebat, Senatus vero societatem illam, quia monopolium, Regni legibus vetitum, exerceret, illicitam declarabat, relicta Anglis facultate, more veteri, Elbingæ, Gedani, Rigæ & in aliis Poloniæ civitatibus maritimis, cum solis civibus negotiandi. Post annos aliquot, Anglica societas Elbingæ desiit. *Histor. Pruss. III. 437. 438. 439. 440. 458.* Quod sigillatim ad Gedanenses attinet, ut sub Ordine Teutonico, nemini negotiatio promiscue cum exteris & civibus, ac alia quibus mercatores cives fruebantur, *nisi civi mercatori permittebantur, ita Casimirus*, in citato antea Privilegio generali, nullum extraneum negotiari, imo ne habitare quidem in civitate voluit, nisi Præconsulum, Consulum, Scabinorum & totius communitatis, seu, ut hodie loquimur, omnium Ordinum consensu, quorum consensus, extraneo in numerum civium mercatorum recepto, obtinebatur. Hoc jus civium mercatorum, supremus Ordinis Teutonici Magister per privilegium non civi largiri nequibat, in quo non major Regum est auctoritas, quod ex testimoniis Casimiri & Stephani patet. Non ergo 1677 & 1680 tribus incolis Gallis, Regium privilegium, quo illis, cum cives non essent, mercaturam exercere permittebatur, profuit; neque 1660 & 1733 duobus opificibus, ut cum suo opificio, simul mercaturæ operam navare possent.

A 5) Turbarum Gedanensium tempore, Elbingenses a Rege privilegium impetraverant, quo apud ipsos extraneis liceret cum extraneis negotiari, quod leges alias extraneis cum solis civibus permittunt. Gedanensibus in gratiam receptis, Rex in conventione Mariæburgensi, omnia privilegia, Gedanensi civitati noxia, ac turbarum tempore concessa, aboleverat. Ad hanc conventionem civitatis Ordines provocantes, Regem orabant, ut privilegium illud sua auctoritate tolleret, ne ideo sibi cum Elbingensibus controversia suscipienda esset. Ex qua ratione, Rex privilegia, contra jus publicum ac prisca civitatis ac terrarum Prussiæ jura data, irrita abrogataque esse voluit, simul Serenissimis Suis Successoribus viam monstravit, qua privilegia juribus adversa abolere possent. Neque silendum, per civitatis jura & privilegia, Gedanensis civitatis jura intelligenda esse, ut Rex in Rescripto suo, nota Y4) ad §. XXVI. citato, intellexerat.

§. XXVIII.

Monopolia exercere minime licet.

Monopolia B5) etiam, quæ in fraudem istius civitatis institui, vel exerceri possint, vetita & sublata esse volumus C5).

§.XXIIX. B5) In numerum privilegiorum adverſus jus publicum, ac priſca civitatis Gedanenſis & terrarum Pruſſiæ jura, referenda ſunt, privilegia Regia, quibus uni, aut paucis admodum, ſocietate inter ſe junctis, excluſis mercatoribus reliquis omnibus, certæ mercis negotiatio indulgetur, qualis negotiatio, monopolium vocari ſolet, ac in civitatibus Hanſæaticis non ferebatur, ubi cives promiscue, quascunque vellent, negotiationes exercebant. Hic mos Ordinis Teutonici tempore, Gedanum, inde in alias civitates ac totam Pruſſiam migravit, & ad Regnum Sigismundi Auguſti integer manſit, ſub quo ut alia nova, etiam monopolia datis privilegiis inducta ſunt. Primum exemplum a. 1564 occurrit, quo Rex aulico cuidam, Graiowski, jus conceſſit, ut ſolus Gedani & Regimonti viginti duo millia laſtarum ſalis transmarini emeret, & in quasvis Regni provincias, tum terra tum flumine, veheret, neque cuiquam liceret, ſalem in Poloniam, Lituaniam, Pruſſiam mittere, priusquam Graiowski, emtam a ſe ſalis copiam vendidiſſet. Id cum contra commerciorum libertatem & Pruſſiæ jura factum, civitates metuebant, ne ejusmodi privilegia etiam pro cæteris mercibus obtinerentur, totumque cum Polonia & Lituania commercium, a civibus ad alios, & a multis ad pauculos transferretur. Hæc Pruſſiæ Conſiliarii Regi exponentes, orabant, ut privilegium illud aboleretur, neque ejusmodi facultas in poſterum alicui contingeret: priusque, idem petentibus in Petricovienſibus comitiis a. 1565 Nuntiis Polonis, factum eſt. *Hiſt. Pruſſ. II. 314. Conſtit. Vol. II. p. 698. edit. nov.* Sed accidit ſequenti anno, ut Joannes Kmitha, ſolus jus emendi vendendique in Polonia & Pruſſia ceram, ac in transmarinas regiones dimittendi obtineret, commercio ceræ omnibus aliis, jactura mercis & multa decem millium florenorum interdicto. Quare agenti in aula Regia Gedanenſium Syndico, Cleophæ Majo, Pruſſiæ Conſiliarii committebant, ut expoſitis, quæ contra monopolium allegari poſſent, efficeret, ut illo ſublato, liberum ceræ commercium redderetur. Idem a Rege petebant in litteris ſuis Conſiliarii, addentes: monopolium illud ad ditandos Hebræos permiſſum dici, & ferendum non eſſe, ut cum jactura multorum, unus locupletetur. Fine anni 1567 Pruſſi voti ſui compotes facti ſunt, ceræ monopolio ſublato. *Hiſt. Pruſſ. II. 331. 332. 352. Doc. p. 169. ſeq. 173.*

§.XXIIX.

C5) Ut taceantur jura, etiam in fraudem ſeu damnum civitatis monopolia exercentur, cum lucrum ex mercibus, quod ad omnes cives pertinere debet, uni aut paucis obveniat, civitatis autem interſit, non unum & paucos ſed omnes locupletari: cujus damni Pruſſiæ Conſiliarii, fine proximæ notæ, mentionem fecerant. Nec minus eſt contra civium æqualitatem, unum aut paucos præferri cæteris, quos omnes, communia jura æquales reddunt. Cæterum recte ſentiebant de monopoliis, hoc titulo, Karnkovianæ conſtitutiones: „eſſe hoc negotiationis genus per ſe „periculoſiſſimum, & civibus hujus urbis multisque aliis Regni „civitatibus, victum honeſtum præripere, atque negotiatorem „ſuum & fidem ejus ſequentes funditus perdere„. Proinde ſanciebant eædem conſtitutiones, „ne quis deinceps monopolium „quarumcunque mercium, præſertim earum, quæ ad victum ſpectarent, vel aliarum quarumcunque, quocunque colore & prætex„tu inſtitueret, vel exerceret, & qui ſecus faceret, e civitate & „jure civitatis, perpetuo excluderetur„. Quia vero conſtitutiones illæ a Gedanenſibus pro legibus habitæ nunquam, eædemque per portorii Tractatus abrogatæ erant, ac conſtitutiones de ſolis civibus & incolis Gedanenſibus loquebantur, civitas vero optabat, ne etiam aliis quam civibus & incolis ſuis, a Rege monopolia permitterentur, curandum erat, ut lege aliqua omnibus monopoliis occurreretur; præſertim cum illo tempore, nonnulli mercatores exteri, privilegium, quo ſibi ſolis quarundam mercium aliunde advectarum & quidem aromatum negotiationem exercere liceret, obtinere conarentur. Quare per portorii tractatus omnia monopolia interdicenda erant, ne inſtituerentur, & ſi inſtituta abolerentur. Nihilominus impetrarunt a. 1650 Scoti aliquot in Polonia, tabaci, & a. 1665 civis quidam Gedanenſis, nitri monopolium: a quo civitas jus ſuum tueri non omiſit.

§. XXIX.

§. XXIX.

Poſſeſſiones civitati aſſertæ.

Ad poſſeſſiones civitatis D5) quod attinet, intelligimus Divi Caſimiri Regis beneficio pleraſque ad civitatem pertinere E5). Itaque cum hæc privilegia ejus generis ſint, ut nullam omnino dubitationem habeant, clementer ſane noſtra etiam auctoritate, illa confirmamus F5), utque in perpetuum eas civitas, quemadmodum antehac poſſedit, eo, quo qui optimo jure poſſident, poſſideat teneatque conſentimus. Præter has, ſi quas a poſterioribus Regibus, vel privato emtionis aut permutationis titulo civitas habeat G5), in quibus dubitationis aliquid ſit H5), quas exiguas eſſe Nobis indicatum eſt I5), etſi diverſo jure a civitate poſſideantur L5), eandem tamen illarum rationem eſſe judicamus, ut nimirum non modo ex dignitate, ſed uſu etiam communis Reipublicæ eſſe arbitremur, quo eæ perpetuo penes civitatem permaneant. Itaque quantum in Nobis eſt, non modo Ipſi in eo jure civitatem non turbabimus, ſed ſi quid eſt, quod objici contra id poſſit, ad id in publico Regni conventu tollendum, clementiam operamque Noſtram civitati deferimus, ut de iis comitiorum quoque auctoritate civitati caveatur M5).

D5) Habet civitas poſſeſſiones amplas & tractus integros, pagis frequentes, alias bona civitatis patrimonialia dicta, quia ejus patrimonium conſtituunt & in ejus uſum adminiſtrantur, ſuntque inſula Stüblavienſis, Neringa, pagi montani, Hela oppidum, ac tractus ædilitius vulgo Bauamt, inſulæ Stüblavienſis portio, ab ea tamen ſejunctus, habetque alium adminiſtratorem, ac aliam quæ oeconomiam curat functionem, quam inſula. Nihil de poſſeſſionibus, portorii tractatibus fuiſſet inſertum, niſi quædam illarum, ſub Sigismundo Auguſto, Alexandrini Statuti obtentu, judiciis & decretis fuiſſent oppugnatæ, quaſi a civitate minus legitime tenerentur. Meminerunt hujus injuriæ civitatis Ordines a. 1576, in reſponſo ad legationem Stephani: „bona civitatis publica, ad executionem Alexandrini ſtatuti perperam trahi coepiſſe, cum neque hoc, neque ullum aliud Regni ſtatutum, neque Pruſſiæ terras conjunctim, neque civitatem hanc ſeparatim obliget vel concernat. Neque æquum eſſe, Dominis Regni Conſiliariis concedi, ut omnia quæ in civitatis favorem extra Regni comitia ſint introducta, rejiciant, nihil enim ad Ordines civitatis ejusmodi comitia pertinere, & ea ſarta tecta conſervari benignius eſſe, quæ Sereniſſimi Reges, vel in terris Pruſſiæ, vel extra terras Ordinibus indulſerint, cum hac in parte præter Regiam Majeſtatem alios Dominos non agnoſcant. Multa etiam in actionibus executorialibus contra publicas terrarum libertates, cum maximo civitatum præjudicio eſſe attentata, quin imo nonnullos Dominorum eadem civitatis bona, ſibi potius dari, quam Ordinibus conſervari voluiſſe, id eo gravius Ordinibus accidiſſe, quod bona ſua civitas non a Regno lucrifecerit, ſed una ſecum ad Regnum attulerit, eaque longe ante, quam Divus Alexander regnare cœpiſſet, juſto & legitimo titulo poſſederit„. Quare poſtea orabant Regem Ordines, ut ea quæ adverſus bona civitatis olim acta reſcinderentur: quod cum Rex ad comitia rejiceret, reſpondebant Ordines, „non minus juſtum quam æquum videri, ut ſtatim aboleantur, neque ad comitia differantur, injuria tam manifeſta, ut nulla probatione egeat„. Et alio tempore addebant: „executionis negotium tale eſſe, ut ſi Sacra Regia

§. XXIX. „Majeftas Ordines penes privilegia confervare voluerit, quemadmodum non femel polliceri dignata, certum fit, omnia ipforum „bona terreftria, quæ privilegiis ita innitantur, ut ab iis nulla ratione avelli poffint, ipfis per omnia falva futura effe, neque vel „comitiorum, vel aliquam aliam cognitionem, neque executionis rigorem defiderare„. *Declar. Ord. plag. K. p. 3. pl. Aa. p. 8. pl. Ff. p. 6. pl. Ll p. 3. pl. Oo. p. 2. pl. Rr. p. 3.* Sed Rege mentem fuam non mutante, expectandum erat, donec de portorio tractatio inftitueretur. Hoc loco, de ftatuto Alexandrino & ftatuti hujus executione fupra citatis, aliquid adjiciendum eft, præfertim cum & noftra ætate fint, qui ex hoc ftatuto tela in quasdam Gedanenfium poffeffiones depromant. Intelligitur per Alexandrinum ftatutum, lex regnante Alexandro, in comitiis Petricovienfibus a. 1504 lata, qua vetitum, bona menfæ Regiæ, poftquam exemta vel alio modo ad Regem devoluta, appignerare aut donare, nifi in comitiis pro Reipublicæ neceffitate Senatores confenferint, aut fummas jam infcriptas augere, cum qui aliter pecuniam numeraverint, cum pecunia fimul honorem perdituri fint. *Conftit. vol. I. p. 298. edit. nov.* Neglecta hæc lex, donec 1550 Regni Ordines urgerent, ut veteres leges, in quarum numero ftatutum de bonis menfæ Regiæ non alienandis, ad executionem deducerentur, ac in fola hujus ftatuti executione acquiefcerent. Nihil ea ad Pruffos pertinebat, ftatuto illis abfentibus in comitiis fancito, neque poftea ab iis approbato, cum non aliis, quam quas ipfi in fuis conventibus generalibus ferunt, aut quibus in Regni comitiis ex mandato fuæ provinciæ affentiuntur, legibus teneantur. Quare fupremus Regni Cancellarius Ocziefki, cui in comitiis a. 1562 mandatum, decreto pro executione Statuti Alexandrini, etiam Pruffos inferere, id inique fieri declarabat, Pruffis non auditis & ftatutum Alexandri ignorantibus, nifi quod ex aliorum fermone de eo accepiffent, quique Regni legibus non obligarentur. *Hift. Pruff. II. 222.* In quo Hiftoriæ Pruffiçæ volumine, multa inveniuntur, ex quibus fatis conftat, Pruffos nullo jure, ad executionem ftatuti Alexandrini adactos effe. Et quod fpeciatim ad Gedanenfium poffeffiones, non fuerunt in illorum bonorum numero, de quibus ftatutum Alexandrinum loquitur. §. XXIX.

E 5) Cafimirus, eodem anno, quo cum Pruffia Gedanum in ditionem fuam recepit, civitati donavit Neringam, infulam Stublavienfem & pagos aliquot, montana verfus fitos, qui ideo montani dicuntur, hancque fuam donationem, in privilegio præcipuo, feu generali (Haupt-Privilegio) confirmavit. *Curicke hift. civ. Gedan. p. 150. 151. 153.* Non tamen erat mera & gratuita donatio, aut beneficium, ut Stephanus vocat, fed donatio & beneficium ex pacto, Pruffia Cafimiro præter alias, ea conditione oblata, ut quisque retineret, quæ ex Ordinis Teutonici poffeffionibus occupaffet, qua conditione cum aliis probata, Rex Gedanenfibus bona quæ jam tenebant, reliquit. *Schützii Hift. Pruff. f. 199. p. 2.* Deinde pro poffeffionibus illis, Rex Sibi & Succefforibus pactus duo aureorum millia annua, gratuitum convictum, feu ftationem fingulis annis per dies tres, palatium, ftabulum & horreum vulgo granarium. *Curicke pag. 151.*

F 5) Ideo confirmatione Stephani opus effe videbatur, quia Sigismundus Auguftus, contra Cafimiri privilegia, partem poffeffionum ab illo collatarum feu relictarum, ad Se pertinere crediderat, illorum fecutus confilia, qui Gedanenfes omnibus poffeffionibus fenfim exuere conabantur. Hinc a. 1570 in infula Stüblavienfi pago Weslinke, & arce Grebinenfi cum fuo agro, Sibi cedere juffit, etiam ad judicia fua Gedanenfes citans, Neringiam vero totam eodem anno Caftellano Ravenfi Nic. Firleio donavit. Sed civitas juri fuo confifa, in litem fe non immifit, verum per fuam conftantiam poffeffiones integras retinuit, morte Sigismundi Augufti, a. 1572 defuncti, fubveniente. Dum vero Stephanus bona a Cafimiro collata civitati confirmat, fimul declarat, ea optimo jure poffideri, ut civitatem ab illis tutam redderet, qui aliquando eam in bonorum poffeffione turbare auderent.

G 5)

§. XXIX. G5) A bonis ex beneficio Casimiri, transit Stephanus ad bona, quæ civitas habet a posterioribus Regibus, emtionis aut permutationis titulo. De permutatione prius, post de emtione dicendum, quia permutatio emtione est vetustior. Contigit permutatio sub Casimiro, quam Sigismundus I. confirmavit, quo modo permutatio ad duos Reges referri potest. Cum enim pace Thorunensi a. 1466 Casimirus partem Neringæ, quam totam Gedanensibus concesserat, Ordini Teutonico redderet, Gedanensibus eodem tempore promittebat, Se partem illam Neringæ compensaturum, factumque, ut ipsis oppidum Helam conferret, nullis tamen litteris, quæ hujus rei fidem facerent, sive ab *Ipso* Casimiro, sive ab Ejus Successoribus Joanne Alberto & Alexandro impetratis, quas demum a Sigismundo I. a. 1526 civitas obtinuit: „Qui Præconsulibus, Consulibus, Scabinis & universis civibus „Gedanensibus, oppidum & bona Regia, Hela nuncupata, quæ „hactenus sine privilegio Prædecessorum, in compensationem ta„men aliorum bonorum suorum, quæ Serenissimus olim Geni„tor, Rex Casimirus, tunc Magistro Generali ac ejus ordini Teu„tonicorum in Prussia dedisset, tenuerint, cum omnibus & sin„gulis eorundem bonorum juribus, proprietatibus, judiciis, uti„litatibus, proventibus, fructibus & emolumentis, quibuscun„que nominibus appellarentur, quæ essent aut etiam in posterum „fieri possent, nullis exceptis, de certa Sua & Consiliariorum „Suorum tam Regni Poloniæ quam harum terrarum ac civitatum „Prussiæ, scientia, consilio & consensu, donanda & inscribenda „duxit, donavitque & inscripsit, jure perpetuo & hæreditario, „possidenda, tenenda, habenda & uti fruenda„. *Curicke p. 159.* Non ergo novas possessiones Sigismundus I. contulit, *sed* permutationem Casimiri, diplomate Suo confirmavit. Emtione autem civitas, Scharffaviam acquisivit, quam Casimirus a. 1457 septem civibus Gedanensibus, inter quos unus Præconsul & Consul unus, consilio & consensu Regni & Prussiæ Consiliariorum, data civitati pro Se a civibus redimendi facultate, septem aureorum millibus oppigneraverat, & Alexander consensu universorum *Prælatorum* & *Baronum* Regni a. 1505 Lucæ Waisselrodio, Varmiensi Episcopo, ejusque Capitulo, donaverat, ut tamen civibus Gedanensibus pecunia, qua olim oppignerata, solveretur, quibus sequenti anno Regii Commissarii usumfructum asseruerunt, donec summa illa præstaretur. Regis Sigismundi I. consensu, a. 1530 Mauritius Ferberus, Varmiensis Episcopus, ejusque Capitulum, Scharffaviam civitati Gedanensi vendiderunt quindecim marcarum millibus, ex quibus octo, hæredibus Eberhardi Ferberi, Præconsulis quondam Gedanensis, ad quos jus ex pignore transierat, & septem millia Episcopo numerata, qui diploma donationis Alexandri civitati reddidit, & cum Capitulo suo evictionem, si ob emtionem controversia moveretur, litteris promisit. Sic civitas Scharffaviam justæ emtionis titulo obtinuit. *Hist. Pruss. I. 74. 90. Doc. p. 76.*

§. XXIX. H5) De jure civitatis in Helam dubitatum nunquam, sed de jure quo teneret Scharffaviam, non solum dubitatum, sed etiam creditum, eam minus legitime possideri, ut Sigismundus Augustus, qui tamen a. 1562 ad arcis Mariæburgensis *officiales* rescripserat, ne Gedanenses in possessione Scharffaviæ turbarent, a. 1567 Commissariis suis mandaret, receptam a Gedanensibus Scharffaviam, arci Mariæburgensi restituere. Secutum a. 1568 alterum & tertium ad Commissarios mandatum, qui recusantibus illorum judicium Gedanensibus, in arce Mariæburgensi decretum ferebant, a quo ad Regem provocavit civitas, obtinuitque a. 1569 ut decreti executio suspenderetur. Sed paullo post, decreto a Rege confirmato, illud exequi Palatino Pomeraniæ injunctum, a quo, civitate iterum appellante, causa ad Regem remittebatur. Secutum a. 1570 decretum Regium, ut civitas Scharffavia cederet, ac Episcopum Varmiensem ejusque Capitulum, ad præstandam *evictionem* jure adigeret: quibus ad judicia Regia citatis, venit Palatinus Mariæburgensis in pagum Scharffaviæ Tiegenort, ut eam a Gedanensibus reciperet, qui Palatino rationes exponebant, cur cedere Scharffavia, adstringi nequirent, finiebaturque congressus mutua sollemni contradictione, quam protestationem vocamus, Gedanensibus Scharffaviam retinentibus.

§. XXIX. 15) Possessiones illæ exiguæ vocantur, propter modicos ex illis reditus.

L 5) Alia bona civitas donationis, alia permutationis, alia emtionis jure possidebat, quod ex modo dictis constat. Diversa hæc jura ita probat Stephanus, ut velit bona his juribus acquisita, penes civitatem manere perpetuo, simul tacite damnat, quæ Sigismundus Augustus in quædam ex illis bonis tentaverat, ac Serenissimos Suos Successores, ne idem, quod Sigismundus Augustus, conentur, monet, secus contra civitatis jus & communis Reipublicæ, ac sic totius Regni dignitatem & usum acturos esse.

M 5) Die 20 Februarii a. 1585 ante finem comitiorum, de confectis portorii tractatibus, supremus Regni Cancellarius ad Senatum retulit, qui post relationem recitabantur: quo facto, Senatores censebant, ut tractatus auctoritate comitiorum publicarentur, si prius cum privilegiis civitatis collati essent, quo constaret, eosdem cum privilegiis convenire. Episcopus vero Cujaviensis assentiebatur, salvis Episcopatus sui & monasteriorum possessionibus, alii jurium Nobilitatis mentionem faciebant, ne per tractatus illos minuerentur. Dictis sententiis, Rex causa Gedanensium non sine civitatis laude commendata, Senatores delegit, qui tractatus ad vetera civitatis privilegia expenderent, quibus se supremus Regni Cancellarius & duo ex Prussia Nobiles junxerunt. Hi mandato sibi negotio diligenter perfuncti, nihil in tractatibus mutandum crediderunt, sed ut superiore anno Vilnæ convenerant, probarunt. Vocatos d. 26. Februarii in Senatum Gedanenses internuntios, supremus Cancellarius his verbis alloquebatur: „Sacra Regia Majestas, Dominus Noster clementissimus, privilegium illud quod civitas petiit, cum Senatu Suo deliberavit, & „nunc ex Senatus consulto civitati concedendum censuit, idque „dari jubebit; hoc tamen simul declarare voluit, nihil Se eo pri„vilegio derogare juribus Nobilitatis aut etiam Ecclesiæ Vladisla„viensis & monasteriorum, sed relinquit omnia ea in eo statu, in „quo ante privilegium fuerunt„. *Hist. Pruss. III. 454. 455.* Ita Rex quod promiserat, effecit, ut possessiones civitatis, ab objectionibus, comitiorum auctoritate tutæ redderentur, quia Senatores ob comitia præsentes, cum reliquis, simul caput de possessionibus probarunt. Neque post tractatus portorii, civitas in possessionibus suis turbata est, nisi quod nonnunquam Scharffavia pro portione Oeconomiæ Mariæburgensis haberi voluerit, quam postulationem, Stephanus & totus Regni Senatus, ut dictum, satis confutarunt: & cum controversia, regnante Joanne III. civitati moveretur, Rex post deliberationem, in decreto Gedani a. 1678 lato, inhærens privilegio Stephani, de Scharffavia, quia in ejus usu, civitatem sub Divis Antecessoribus reperiisset, nihil ulterius innovandum esse censuit. Idque Rex Augustus III. in suo diplomate a. 1762 clementissime probare dignatus est, eorumque temeritatem, qui jus Gedanensium, quo Scharffaviam tenent, oppugnare voluerint, etiam Sua auctoritate repressit.

§. XXX.

§. XXX.

Tractatus portorii perpetuis temporibus serventur.

Quæ omnia & singula, uti supra scripta sunt, per Nos & Successores Nostros, rata, firma ac perpetuo conservabuntur, neque Nos aut Successores Nostros, adversus ea, in civitatis Nostræ Gedanensis præjudicium aut detrimentum, quidquam facturos, vel fieri passuros, in verbo Nostro Regio, pro Nobis & Successoribus Nostris promittimus & pollicemur N 5). In quorum certissimam fidem & evidentius testimonium, hæc manu Nostra subscripsimus, & sigillo Nostri Regni appenso communiri jussimus. Datum Varsaviæ in conventu Regni gene-

§.XXX. generali, die vigesima sexta mensis Februarii, anno Domini M. D. octogesimo quinto, regni vero Nostri, anno nono O5).

N5) Non solum Stephanus id pro Se & Suis Successoribus pollicitus est, verum primus Successor Sigismundus III. singulari diplomate, & reliqui, quisque in sua confirmatione jurium & privilegiorum civitatis, promiserunt, ac se ad tuendos illos tractatus obligarunt.

O5) Tum Tractatus portorii dati iterum, qui dati primum Grodnæ, die IX Februarii a. MDLXXXIIII. circa quorum finem hæc leguntur verba: „quæ cum omnia, præterquam quod „pro sua clementia concedenda civitati Regia Majestas existimet, „ab æquitate etiam non aliena judicet, cum adhuc propter infrequentiam Senatorum, nihil hisce de rebus ex Senatus auctoritate constitui potuerit, quó id etiam in publico proximo Regni „conventu fiat, atque etiam Senatus suum consensum eam in rem „præstet, auctoritate Sua & motu proprio efficiet. Quod si tamen horum aliqua rata habita tunc non fuerint, utraque quoque „pars, ad totam hanc formulam transactionis, præsentesque tractationes, amplius obstricta & obligata esse non debebit. Exactio „quoque aucti portorii ipso facto cessabit, nec ulterius procedet: „utriusque tamen partis juribus & allegationibus, de supra scriptis „omnibus capitibus præcedenti toto scripto comprehensis, in eo, „quo ante transactionis formulam fuerunt, vigore, integris & „salvis permanentibus„.

Præsen-

Præsentibus Reverendissimis, Reverendis, Illustribus, Magnificis, Generosis, Stanislao Karnkowski, DEI gratia Archiepiscopo Gnesnensi, Legato nato & Regni Nostri Primate, Petro Myszkowski Cracoviensi, Hieronimo Rozrazewski Cujaviensi, Petro Dunin Wolski Plocensi, Alberto Baranowski Przemysliensi & Regni Nostri Vice-Cancellario, Jacobo Woroniecki Kioviensi, Episcopis. Nic. Christoph. Radziwił, Duce in Dubinki & Bierce, Vilnensi, Solecensi, Borissoviensi, Eustachio Wołowicz Castellano Vilnensi, & M. D. Litvaniæ Cancellario, Brzestensi, Cobrinensi, Joanne Chlebowicz Castellano Trocensi & M. D. Litvaniæ Thesaurario, Petro de Potulicze Calisiensi, Alberto Łaski Siradiensi, Joanne Spławski Inovladislaviensi, Constantino Duce in Ostrog Kioviensi & Mareschalco Voliniæ, Janusf. Duce in Ostrog Voliniæ, Nicol. à Milecz Podoliæ, Corcinen. Grodecensi, Philone Kmita Smolenscensi, Orzanensi, Jo. Tarło de Sczekrazowieze Lublinensi, Pilsnensi, Nicolao Dorohostayski Polocensi, Stan. Zolkiewski Belcensi, Gregor. Zielinski Plocensi, Zakrozimensi,

 Mlaven-

Mlavenſi, Stan. Kryſki de Drobnin, Maſoviæ, Plocenſi Dobrinenſique, Arnshelmo Goſtomſki Ravenſi, Nicol. Dzialynſki Culmenſi, Bratianenſi, Januſſio Zbaraſki Braczlavienſi, Cremenecenſi, Pinscenſi, Palatinis & Capitaneis; Stanisl. a Tarno Sandomirienſi, Jo. Konarski Caliſſ. Jacobo Ponotowſki Brzeſtenſi, Paulo Sczawinſki Lancicienſi, Sochaczovienſi, Varacenſi, Stan. Vlodek de Hermanow Camenecenſi, Halicienſi, Colomienſi, Andrea Firley de Dambrowicza Lublinenſi, Sandomirienſi, Stanisl. Radziminſki Czernenſi, Livenſi, Camenecenſi, Martino Leſniowolſki de Obory Podlachiæ, Loſicenſi, Mich. Haraburda Minscenſi, Jo. Kozieliczki Miedzricenſi & Bidgoſtienſi, Georg. Mniſzek Radomienſi, Sanocenſi, Socalenſi, Stan. Sirakowſki de Boguslawicze Landenſi & Przedecenſi, Nicolao Herbert de Fulſtin Halicienſi, Leopolienſi, Stephano Grudzinſki Naclenſi, Simone Subſki Inovlodenſi, Goſtinenſi, Stan. Goſtomſki Sochaczovienſi, Ravenſi, Alberto Reczaiſki Varſavienſi, Derpatenſi, Stan. Bykowſki Conarienſi Caſtellanis & Capitaneis; Andrea Opalinſki de Bnin Regni Noſtri Supremo Mareſchalco, & majoris

joris Poloniæ generali Capitaneo, Jo. de Zamoscie Regni Noſtri Supremo Cancellario, ac exercituum generali, ac Cracovienſi, Mariæburgenſi, Kniſſienſi &c. Capitaneo, Joanne Dulſki Caſtellano Culmenſi & Regni Theſaurario, Branscenſi, Suracenſi, Suiecenſi, Rogosnenſi Capitaneo, Alberto Radziwił Duce in Olika & Nieswiesz curiæ M. D. Litvaniæ Mareſchalco, Petro Tilicki Secretario majore Regni Noſtri, Præpoſito Gnesnenſi, Cracovienſi, Posnanienſi, Varmienſi, Jo. Tarnowſki Referendario curiæ Regni, Vladislavienſi, Lancicienſi, Crusvicienſique Præpoſitio, Hiac. Mlodzieowſki curiæ Noſtræ Theſaurario, Stan. Krazicki curruum noſtrorum Præfecto, Lubolienſique Capitaneo, Laur. Gosliezki Decano Plocenſi, Cracovienſi, Sandomirienſique, Jo. Piotrowſki Scholaſtico Lancicienſi, Cuſtode Sandomirienſi, Cracovienſi, Posnanienſique, Canonicis, Paulo Zaiązkowſki Archidiacono Premislienſi, Secretariis Noſtris, Hier. Philipowſki lectiſtratore, Nurenſi Strienſique Capitaneo, Marco Sobieſki Vexillifero curiæ Noſtræ, & aliis multis officialibus, Secretariis & aulicis

licis Noſtris nec non Nuntiis noſtris terreſtribus, ad præſentem noſtrum conventum Varſovienſem congregatis, ſincere & fidelibus Nobis dilectis. Datum per manus Jlluſtriſſimi & Magnifici Joannis de Zamoiſcio, Regni Poloniæ ſupremi Cancellarii & exercituum generalis ac Cracovienſis, Mariæburgenſis, Kniſinenſis, Miedzirecenſis Krzeſſovienſisque &c. Capitanei, ſincere Nobis dilecti

STEPHANUS Rex

R. Heidenſtein
S. R. Majeſtatis
Secretarius.

Inſerenda.

P. 33 l. 12 inſcriptione: *Sigillum certifiationum civitatis Dantzick.* p. 63 l. 20 Conſulum *&* *Scabinorum.* l. 21 in Senatu *&* *Scabinatu.*

INDEX.

INDEX RERUM.

Q C. Ca-

C.

E.

F.

G.

 Litte-

R Stepha-

T.

V.




C. R. BIBLIOTHECA
VNIV. IAGELL.
CRACOVIENSIS





